OBSERVATIONES

IN

PLUTARCHI VITAM TIMOLEONTIS.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

SCRIPSIT

G. F. HARTMANN.

LUGDUNI-BATAVORUM.
APUD FRATRES VAN DER HOEK.
MDCCCLXXIX.

OBSERVATIONES

IN

PLUTARCHI VITAM TIMOLEONTIS.

Ex Typographeo De Breuk & Smits.

OBSERVATIONES
IN
PLUTARCHI VITAM TIMOLEONTIS.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

H. KERN,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT. ET IN FACULTATE LIT. HUM. PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM
HUMANIORUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

GUILIELMUS FREDERICUS HARTMANN,

HARLEMENSIS,

DIE XXIX MENSIS SEPTEMBRIS A. MDCCCLXXIX, HORA I.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD FRATRES VAN DER HOEK.
MDCCCLXXIX.

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS.

7/6

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS.

L. B.

Qui hunc libellum inspexerit, rogatum velim aequi bonique consulat annotatiunculas hasce, horis subsicivis fere uno impetu fusas. Quas, nisi legis necessitate cogerer ut intra certum idque brevissimum spatium summos in hac facultate peterem honores, minime in lucem edere ausus essem. Imprimis ab Iis, quorum in hac Academia egregiam institutionem grato animo recordor semperque recordabor, etiam atque etiam peto, ne propter sexcenta, quae in hac pro tempore scripta opella reprehendere debeant, nimis severum de tota meorum studiorum ratione ferant iudicium.

OBSERVATIONES IN PLUTARCHI VITAM TIMOLEONTIS *).

Praefationem Plutarchi, quae antea vitae Pauli Aemilii praeponebatur, in sedem suam revocavit Sintenisius, consentiente C. F. Hermanno. Sequuntur morem Plutarcheum: praemittitur vita Graeci, praefatione munita; sequitur vita Romani, idque in omnibus Libris Vitarum Parallelarum. Nam binae Vitae singulos Libros efficiebant. Cf. vitam Demosthenis Cap. III ab init.: *Διὸ καὶ γράφοντες ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ, τῶν παραλλήλων βίων ὄντι πέμπτῳ, περὶ Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος, ἀπὸ τῶν πράξεων*

*) Secutus sum editionem Sintenisii recentiorem anni 1857, adhibita maiore eiusdem editione a. 1839.

καὶ τῶν πολιτειῶν τὰς φύσεις αὐτῶν καὶ τὰς διαθέσεις πρὸς ἀλλήλας ἐπισκεψόμεθα κ. τ. λ. et in fine eiusdem Cap.: Λεκτέον δὲ περὶ τοῦ πρεσβυτέρου πρότερον. In Dione Cap. II: ἐν τούτῳ δέ, δωδεκάτῳ τῶν παραλλήλων ὄντι βίων, τὸν τοῦ πρεσβυτέρου προεισαγάγωμεν. In Pericle Cap. II: τοῦτο τὸ βιβλίον δέκατον συντετάχαμεν τὸν Περικλέους βίον καὶ τὸν Φαβίου Μαξίμου τοῦ διαπολεμήσαντος πρὸς Ἀννίβαν περιέχον.

CAP. I.

ἐπεὶ Δίων μὲν ἐξελάσας Διονύσιον τὸν τύραννον εὐθὺς ἀνῃρέθη δόλῳ κτέ. Quomodo Dio, liberator patriae tyrannique expulsor, ut vocatur ap. Nepotem in fine Vitae, a periuro Callippo Atheniensi sit occisus, cognoscimus e Plutarchi Dione Cap. LVII. Facta est caedes Ol. CVI, anno 3, a. C. 354, ut novimus e Diodoro Siculo L. XVI, Cap. 31. Quae secuta sint post necem Dionis, Plutarchus narrat Dionis capite ultimo. Primo Syracusis regnum obtinuit Callippus Dionis percussor, qui haud ita multo post ad Catanam expugnandam profectus Syracusas sibi eripi passus est; qua occasione per iocum ait se urbe amissa radulam recepisse. Idem in Messanam frustra impetu facto, toti Siciliae invisus et odiosus, in Italiam traiecit et Rhegium occupavit, ubi paulo post a Leptine

et Polyperchonte occisus est, ut fama ferebat, eodem pugione, quo Dionem transfixerat. Pulsus erat Callippus Syracusis Ol. CVI, 4, a. C. 353 (Diod. XVI, 36) eique in tyrannide successerat Hipparinus, Dionysii frater eodem patre natus (ibid.), qui per duos annos regnum obtinuit, usque ad Ol. CVII, 2 (a. C. 351). Post eius mortem tyrannidem adeptus est Nysaeus, frater eius ὁμοπάτριος καὶ ὁμομήτριος, vinolentia ac libídinibus famosus (cf. de eo Athenaeum L.X, p. 435 s.), quem, ut in hoc capite legimus, Dionysius ἔτει δεκάτῳ, ergo Ol. CVIII, 3, a. C. 346 sede depulit atque iterum regnare coepit. Nam fugerat in Italiam Ol. CVI, 1, a. C. 356, uti patet e Diod. L. XVI, Cap. 17.

βελτίω μὲν οὐδενὸς ὄντα τῶν ὁμολογουμένως συκοφαντῶν. Scribe ὁμολογουμένων adverbio in adiectivum mutato. In hoc vocabulo librarii turbas dare solent (nota res est), sicut in adiectivis ἄσμενος, αὐτόματος, ἄκριτος, quae tantum non ubique in adverbia refingere solent. Ad nostrum vocabulum cf. e. g. locum e Xenophontis Hist. Gr. II, 3, 38 in defensione Theramenis: μέχρι — τοῦ — τοὺς ὁ μ ο λ ο γ ο υ μ έ ν ο υ ς συκοφάντας ὑπάγεσθαι. Sic quoque v. c. apud Diodor. L. XVI. Cap. 79 ab init.: τῶν δὲ μισθοφόρων τοὺς λόγους ἀσμένως δεχομένων, lege ἀσμένων.

CAP. II.

ἐν τούτῳ δὲ Καρχηδονίων στόλῳ μεγάλῳ παραγενομένων εἰς Σικελίαν καὶ τοῖς πράγμασιν ἐπαιωρουμένων κτέ. Cum brevi notitia Plutarchi componamus ea quae tradit Diodorus L. XVI, Cap. 67, 2. Haec omnia ab eo referuntur ad annum Ol. CVIII, 4, a. C. 345. Docet nos, Poenos *βραχὺ πρὸ τούτων τῶν καιρῶν* (i. e. ante Timoleontis expeditionem), gravissimum bellum in Sicilia exspectantes, primo cum urbibus foederatis amicitiam confirmasse et tyrannorum sibi voluntatem conciliasse. Tum vero ingentes et navales et terrestres copias coactas Hannone duce in Siciliam transmittunt. Habebant CL naves longas, peditum V milia; praeterea comparaverant arma et tela omnis generis, machinas bellicas, frumenti ac ceteri commeatus copiam ingentem. Oppido Entella obsidione clauso Campani, qui illic incolebant (v. ap. Diod. L. XIV, Cap. 9, quo scelere olim Campani mercenarii Dionysii maioris hoc oppidum occupaverint), auxilium petunt a reliquis oppidis, quae hostilia Poenis essent. Soli Galarini M milites subsidio mittunt; quibus in itinere ab hoste circumventis et ad unum concisis Aetnenses, et illi Campani (cf. Diod. L. XIV, Cap. 58), mutato proposito

auxilia, quae in gentilium gratiam paraverant, non mittere decreverunt.

Φοβηθέντες οἱ Σικελιῶται πρεσβείαν ἐβούλοντο πέμπειν εἰς τὴν Ἑλλάδα καὶ παρὰ Κορινθίων βοήθειαν αἰτεῖν. Schaeferus annotat: „Scribendum esse *ἐβουλεύοντο* plures monuerunt." Sintenisius: „fortasse praestat *ἐβουλεύοντο*," eandemque emendationem tribuit Fabricio. Haud absurda videtur mutatio, quae si hoc loco inferenda, cogitandum an Cap. XVIII init. scribendum sit *ἃ δὴ συνορῶντες οἱ περὶ τὸν Μάγωνα καὶ τὸν Ἱκέτην ἐβουλεύοντο τὴν Κατάνην ἑλεῖν*, pro *ἐβούλοντο*. — De re cf. Diod. L. XVI, Cap. 65, 1: *Κατὰ γὰρ τὴν Σικελίαν Συρακόσιοι* (de hac sola genuina forma nominis, quam in Plutarcho spernunt Sintenisius et Bekkerus, dicere supersedeo), *στασιάζοντες πρὸς ἀλλήλους καὶ τυραννίσι πολλαῖς καὶ ποικίλαις δουλεύειν ἀναγκαζόμενοι, πρέσβεις ἐξέπεμψαν εἰς Κόρινθον, ἀξιοῦντες αὐτοῖς ἀποστεῖλαι στρατηγὸν τὸν ἐπιμελησόμενον τῆς πόλεως καὶ καταλύσοντα τὴν τῶν τυραννεῖν ἐπιβαλομένων πλεονεξίαν.*

CAP. III.

εἷς ἐκ τῶν πολλῶν ἀναστὰς ὠνόμασε Τιμολέοντα τὸν Τιμοδήμου. Aliud est nomen patris apud Diodorum. Hic

enim ubi Cap. 65 init. Syracusanorum legationem ad Corinthios missam esse docuit, pergit ita: *οἱ δὲ κρίνοντες δίκαιον εἶναι τοῖς ἀπογόνοις βοηθεῖν, ἐψηφίσαντο πέμπειν στρατηγὸν Τιμολέοντα Τιμαινέτου.* Idem nomen occurrit Cap. 90 in edicto Syracusanorum: *Τιμολέοντα Τιμαινέτου υἱὸν τόνδε.*

De Timoleontis ingenio et moribus pauca habet Diodorus l.l.: appellat eum *πρωτεύοντα τῶν πολιτῶν ἀνδρείᾳ τε καὶ συνέσει στρατηγικῇ καὶ καθόλου πάσαις ταῖς ἀρεταῖς κεκοσμημένον.*

CAP. IV.

μὴ πάθοιεν οἷα καὶ πρότερον ὑπὸ τῶν συμμάχων ἀποβαλόντες τὴν πόλιν. Socii fuerunt Argivi; alludit Plutarchus ad ea, quae facta sunt bello Corinthiaco, a. 393, de quibus rebus legendus Xenophon in Hist. Gr. L. IV, Cap. 4.

De Timoleontis parricidio Nepos Cap. I, § 3: „Nam cum frater eius Timophanes, dux a Corinthiis delectus, tyrannidem per milites mercenarios occupasset, particepsque regni posset esse, tantum afuit a societate sceleris, ut antetulerit civium suorum libertatem fratris saluti et parere legibus quam imperare patriae satius duxerit."

Αἰσχύλον, ἀδελφὸν ὄντα τῆς Τιμοφάνους γυναικός. Sed

Nepos l.l.: „Hac mente per haruspicem communemque affinem, cui soror ex eisdem parentibus nata nupta erat, fratrem tyrannum interficiendum curavit."

Eandem rem, sed haud sine quadam discrepantia, nobis exponit Diod. Cap. 65, 2 ss.: *ἴδιον δέ τι συνέβη περὶ τὸν ἄνδρα συμπεσεῖν, ὃ συνελάβετο αὐτῷ πρὸς τὴν τῆς στρατηγίας αἵρεσιν.* Non commemorat Diodorus Timophanem fratris ope ex hostium manibus ereptum, sed haec ait: Timophanes, opibus et animo inter Corinthios insignis, iam dudum manifesto regnum appetebat, tum vero, armis comparatis, egenis et perditis hominibus stipatus in foro versabatur, *οὐ προσποιούμενος ὅτι τύραννός ἐστι, τὰ δὲ τῆς τυραννίδος ἔργα διαπραττόμενος. ὁ δὲ* Τιμολέων *ἀλλοτριώτατος ὢν μοναρχίας τὸ μὲν πρῶτον ἐπεχείρει πείθειν τὸν ἀδελφὸν ἀποστῆναι τῆς ἐπιβολῆς, ὡς δ' οὐχ ὑπήκουεν, ἀλλ' ἀεὶ καὶ μᾶλλον ἐπετείνετο τῇ τόλμῃ, ἀδυνατῶν αὐτὸν λόγῳ διορθώσασθαι περιπατοῦντα κατὰ τὴν ἀγορὰν ἀπέσφαξε.* Siculus scriptor igitur nullos caedis conscios nominat atque ipsum Timoleontem sua manu facinus perpetrasse contendit. Sed haec refutantur non solum Plutarchi, verum etiam Nepotis diserto testimonio, qui l.l. haec addit: „Ipse non modo manus non attulit, sed ne aspicere quidem fraternum sanguinem voluit. Nam dum res conficeretur, procul in praesidio fuit, ne quis satelles posset succurrere."

In fine huius capitis legimus, quomodo, dum coniurati Timophanem gladiis obtruncarent, frater *capite obvoluto* procul steterit lacrimas fundens. Legitur in edd. *συγκαλυψάμενος*; demonstravit V. Cl. Cobetus solito scribarum errore correcto legi oportere *ἐγκαλυψάμενος*, collato loco in vita Othonis Cap. IX: *δοκεῖ — Ὄθων — σπεύδειν ἐγκαλυψάμενος, ὥσπερ ἀπὸ κρημνοῦ, μεθεῖναι τὰ πράγματα πρὸς τὸ συντυχόν*. Paene supervacuum est notissimos locos laudare, unde luculenter apparet huius verbi significatio, veluti in Aristophanis Nubium exordio: *ἀλλ' εἰ δοκεῖ, ῥέγκωμεν ἐγκεκαλυμμένοι*; et vs. 735: *οὐκ ἐγκαλυψάμενος ταχέως τι φροντιεῖς*; et Avium vs. 1496 *τίς οὐγκαλυμμός*; ex emendatione Dawesii. Cf. quoque in vita Numae Cap. VII: *τῶν μάντεων ὁ πρωτεύων τὸν μὲν εἰς μεσημβρίαν τρέψας ἐγκεκαλυμμένον*; de eadem re ap. Livium L. I, Cap. 18 legimus: „augur ad laevam eius capite velato sedem cepit"; et vitam Demosthenis Cap. VII ab init. et Cap. XXIX in narratione mortis oratoris in insula Calauria; utrobique Sintenisius vitiose *συγκαλύπτειν*, etsi Cap. XXIX contrarium legitur *ἐξεκαλύψατο*.

CAP. V.

Obiter moneamus in verbo *προετίμησε*, initio huius cap.,

crasin esse revocandam, l. *προὐτίμησε*; quod idem faciendum Cap. XXIX in v. *προετέθησαν*, l. *προὐτέθησαν*, et Cap. XII in v. *προέλαβε*, l. *προὔλαβε*.

τὸν δὲ Τιμολέοντα λοιδοροῦντες ὡς ἀσεβὲς ἐξειργασμένον καὶ μυσῶδες ἔργον. Cf. Nepotem Cap I, 5: „Hoc praeclarissimum eius factum non pari modo probatum est ab omnibus. Nonnulli enim laesam ab eo pietatem putabant et invidia laudem virtutis obterebant."

ἐπεὶ δὲ καὶ τὴν μητέρα δυσφορεῖν πυθόμενος καὶ φωνάς τε δεινὰς καὶ κατάρας ἐπ' αὐτὸν ἀρᾶσθαι φρικώδεις ἐβάδιζε παραμυθησόμενος, ἡ δὲ προσιδεῖν οὐχ ὑπέμεινε τὴν ὄψιν, ἀλλὰ τὴν οἰκίαν ἀπέκλεισε — Nep. l.l.: „Mater vero post id factum neque domum ad se filium admisit, neque aspexit, quin eum fratricidam impiumque detestans compellaret."

— *τότε δὴ παντάπασι περίλυπος γενόμενος καὶ συνταραχθεὶς τὴν διάνοιαν ὥρμησε μὲν ὡς διαφθερῶν ἑαυτὸν ἀπέχεσθαι τροφῆς.* Nep. § 6: „Quibus rebus ille adeo est commotus, ut nonnunquam vitae finem facere voluerit atque ex ingratorum hominum conspectu morte decedere."

CAP. VI.

διὸ Φωκίων μὲν ὁ Ἀθηναῖος τοῖς ὑπὸ Λεωσθένους πρατ-

τομένοις ἐναντιωθεὶς κ. τ. λ. Idem dictum legitur in vita Phocionis Cap. XXIII: Bello Lamiaco feliciter rem gerente Leosthene, Atheniensium duce, aiunt civitatem in effusa laetitia victoriam feriis et sacrificiis celebrasse, τὸν δὲ Φωκίωνα πρὸς τοὺς ἐλέγχειν αὐτὸν οἰομένους καὶ πυνθανομένους, εἰ ταῦτ' οὐκ ἂν ἤθελεν αὐτῷ πεπρᾶχθαι. „Πάνυ μὲν οὖν", ἔφη, „βεβουλεῦσθαι δ' ἐκεῖνα." Recurrit in Apophthegmatis ed. Dübner pag. 188 E, ubi narratur Phocion Leosthenis verba, splendida oratione cives suos ad bellum impellentis, cum cupressis comparasse; „καλοὶ γὰρ ὄντες", ἔφη, „καὶ ὑψηλοὶ καρπὸν οὐκ ἔχουσι." κατωρθωμένων δὲ τῶν πρώτων καὶ τῆς πόλεως εὐαγγέλια θυούσης ἐρωτηθεὶς εἰ ταῦτα ἤθελεν οὕτω πεπρᾶχθαι, „Πεπρᾶχθαι μὲν οὖν", ἔφη, ταῦτα, „βεβουλεῦσθαι δ' ἐκεῖνα" ubi sensu flagitante et loco in vita Phocionis collato dubium videri non potest quin rescribendum sit εἰ ταῦτ' ἂν ἤθελεν αὐτῷ πεπρᾶχθαι. — Cf. Val. Max. III, 8, ext. 2.

CAP. VII.

εἴκοσι σχεδὸν ἐτῶν διαγενομένων. In ratione temporum Diodorus hoc loco multum abhorret a Plutarcho. Percurram enim ea, quae tradit caede Timophanis commemorata; ipsa verba dabo (Cap. 65, 5): θορύβου δὲ γενο-

μένου καὶ τῶν πολιτῶν συνδραμόντων διά τε τὸ παράδοξον καὶ τὴν δεινότητα τῆς πράξεως στάσις ἐγένετο. οἱ μὲν γὰρ ἔφασαν δεῖν ὡς ἐμφύλιον φόνον πεπραχότα τὸν Τιμολέοντα τυγχάνειν τῆς ἐκ τῶν νόμων τιμωρίας, οἱ δὲ τοὐναντίον ἀπεφαίνοντο ἐπαινεῖν τὸν ἄνδρα ὡς τυραννοκτόνον. τῆς δὲ γερουσίας συνεδρευούσης ἐν τῷ βουλευτηρίῳ, καὶ τῆς περὶ τὴν πρᾶξιν ἀμφισβητήσεως ἐπὶ τὸ συνέδριον ἀναπεμφθείσης, οἱ μὲν ἐχθροὶ τοῦ Τιμολέοντος κατηγόρουν, οἱ δὲ χαριέστεροι συνηγοροῦντες συνεβούλευον σώζειν τὸν ἄνδρα. Ignorat haec Plutarchus; sed aperte cum eius chronologia pugnant quae sequuntur ap. Diod. § 7: ἀκρίτου δ' ἔτι τῆς ζητήσεως οὔσης κατέπλευσαν ἐκ τῶν Συρακουσῶν οἱ πρέσβεις, καὶ τῇ γερουσίᾳ τὰς ἐντολὰς δηλώσαντες ἠξίουν τὴν ταχίστην ἀποστεῖλαι τὸν στρατηγόν. Apparet igitur Diodorum persuasum sibi habere, quasi caedes Timophanis aut statim aut brevi ante legatorum adventum patrata sit, cum Plutarchus spatium viginti fere annorum inter utramque rem intercessisse doceat. Diodorus, ut vidimus, Timoleontem ob fratris caedem in iudicium capitis vocatum esse dicit, atque etiam in sequentibus addit, senatum illi duci ad bellum Siculum creato hanc condicionem posuisse, ut aut percussor tyranni iudicaretur aut condemnaretur parricidii, prout se in imperio aut bene aut avarius gessisset. Sed Timoleontem non tam metu periculi

imminentis, quam propter insitam virtutem egregie rebus Siculis praefuisse; nempe eum Carthaginienses bello superasse, Graecas urbes a barbaris eversas restituisse, totam Siciliam ex servitute in libertatem vindicasse ac vulgo effecisse, ut Syracusae ceteraeque urbes, quas bello vastatas et desertas invenerat, ipsius opera hominum multitudine abundarent.

Utrum potius sequamur auctorem, valde dubium esse non potest. Equidem haud facile credam, Corinthios tyrannide liberatos eum, a quo liberati essent, primo in iudicium vocasse, deinde capitis accusatum hominem tali lege cum mandato publico ad opem consanguineis suis ferendam misisse. Plutarchi autem narratio tota sibi constat, et dictum Teleclidis: ἂν μὲν γὰρ καλῶς ἀγωνίσῃ, τύραννον ἀνῃρηκέναι δόξομεν (ubi σε cogitatione supplendum), ἂν δὲ φαύλως, ἀδελφόν, benevolae adhortationis vim habet, non iudicii de consilii sententia pronunciati. Fieri potuit ut Diod. ea verba apud antiquiorem scriptorem lecta minus intellexerit exque iis totum iudicium suum confinxerit. — Si temporum discrepantiam spectamus, recordemur Corinthum tunc summa pace et quiete fructam esse (Plut. Cap. III: ἐν εἰρήνῃ καὶ σχολῇ διάγοντες); non his temporibus opus erat, ut Corinthii Timophanem mercede conductis militibus praeponerent, δεδιότες, μὴ

πάθοιεν οἷα καὶ πρότερον ὑπὸ τῶν συμμάχων ἀποβαλόντες τὴν πόλιν, qui metus contra optime quadrat in tempora belli Thebani, quod circiter XX annis ante flagrabat. *)

CAP. VIII.

ναῦς δὲ Κορινθίας μὲν ἔχων ἑπτά, Κερκυραίας δὲ δύο καὶ τὴν δεκάτην Λευκαδίων προσπαρασχόντων ἀνήχθη. Refert haec Diodorus (L. XVI, Cap. 66) ad Ol. CVIII, 4, a. C. 345. Addit, Timoleontem septingentos mercenarios conduxisse, quibus in quatuor naves onerarias impositis tres celoces classi adiecit. Bona pars mercenariorum erat ex iis, qui bello sacro cum Phocensibus templum Delphicum diripuerant, quique tum, toti Graeciae ob sacrilegium invisi, per Peloponnesum vagabantur. Cf. huius Vitae Cap. XXX et librum De Sera Num. Vind. p. 552. — Reliqua omnia, quae hoc capite continentur, Diod. l. l. eodem fere modo enarrat, itinere Timoleontis ad oraculum Delphicum praetermisso.

εἶναι γὰρ ἱερὰν τῆς Κόρης τὴν Σικελίαν, ἐπεὶ καὶ τὰ περὶ

---

*) De tota re inspice librum de Timoleonte eruditissime scriptum a J. F. J. Arnoldt (Gumbinnae 1850), pag. 38 ss.

τὴν ἁρπαγὴν αὐτόθι μυθολογοῦσι γενέσθαι. Quis hic non recordatur locum Ciceronis in libro de Signis (Verr. IV, Cap. 48), ubi urbis Hennensium situm et naturam exponit? „Vetus est haec opinio," ait Cicero, „quae constat ex antiquissimis Graecorum literis ac monumentis, insulam Siciliam totam esse Cereri et Liberae consecratam. Hoc cum ceterae gentes sic arbitrantur, tum ipsis Siculis ita persuasum est, ut in animis eorum insitum atque innatum esse videatur; nam et natas esse has in eis locis deas et fruges in ea terra primum repertas esse arbitrantur et raptam esse Liberam, quam eandem Proserpinam vocant, ex Hennensium nemore"; quanquam ea verba: „quam eandem Proserpinam vocant", libenter magistro scholion addenti relinquere velim, ea magis pueris Ciceronem legentibus, quam ipsius aequalibus, aut necessaria aut ferenda arbitratus. Et paulo infra de raptu illo virginis deae: „prope est spelunca quaedam, conversa ad aquilonem, infinita altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru exstitisse abreptamque ex eo loco virginem secum asportasse, et subito non longe a Syracusis penetrasse sub terras lacumque in eo loco repente exstitisse" e. q. s.

CAP. IX.

καὶ σπεύδοντες ὡς .... τὸ πέλαγος διαπλέοντες ἐκομίζοντο παρὰ τὴν Ἰταλίαν. Sintenisius in recentiore editione hanc lacunam indicavit, quam recepit Bekkerus. Reiskius et antiquiores nullam noverunt lacunam; Schaeferus Coraem secutus *ὡς* delevit, parum commode, ut videtur. Si recte se habet Sintenisii lacuna, quod codicum inspiciendorum facultatem habentibus relinquendum, ut levissima fiat interpolatio, dubitanter coniicere ausim: *καὶ σπεύδοντες ὡς εἶα τὸ πέλαγος διαπλέοντες κ. τ. λ.*

ἐκομίζοντο παρὰ τὴν Ἰταλίαν. Si fides Diodoro (L. XVI, Cap. 66, 5) Corinthii Italiae litus legentes Metapontium naves appulerunt, quo iam tum Punica triremis cum legatione Carthaginiensium Timoleonti obviam missa est. Legati eum obtestati sunt *μὴ κατάρχειν πολέμου μηδ' ἐπιβαίνειν τῆς Σικελίας.* Sed. Timoleon, Rheginis arcessentibus eum et societatem pollicentibus, statim solvit ex portu et primo quoque tempore Rhegium petere contendit, rumorem adventus sui occupare studens; namque verebatur admodum, ne Poeni navalibus copiis valentes se transitu in Siciliam prohiberent.

ὁ γὰρ Ἱκέτης μάχῃ νενικηκὼς Διονύσιον καὶ τὰ πλεῖστα μέρη τῶν Συρακουσῶν κατειληφὼς ἐκεῖνον μὲν εἰς τὴν ἀκρόπολιν καὶ τὴν καλουμένην Νῆσον συνεσταλμένον αὐτὸς συνεπολιόρκει καὶ συμπεριετείχιζε κ. τ. λ. Plura narrat Diod. C. 68: Hicetas cum satis magno exercitu adversus Syracusas profectus Olympieo munitione circumdato Dionysium urbem tenentem oppugnabat. Tum vero procedente tempore deficiente commeatu Leontinos, unde profectus erat, redire paravit. Quem Dionysius insecutus in itinere novissimum agmen adortus proelium commisit. Hicetas conversis signis Dionysii copias aggressus, plus III milibus mercenariorum occisis, ceteros in fugam coniecit. Quos acriter persecutus simul cum fugientibus urbem invadens totis Syracusis praeter Ortygiam s. Insulam potitus est. Addit Diod. Timoleontem triduo post has res gestas classe sua Rhegium pervenisse.

CAP. X.

Haud illepidam comoediam, Corinthiorum causa in Rheginorum concione peractam, ap. Diodorum paulo brevius expositam videbis C. 68, § 4 ss. Sequuntur haec § 6: οἱ δὲ Καρχηδόνιοι καταστρατηγηθέντες ἐπεβάλοντο διώκειν τοὺς περὶ τὸν Τιμολέοντα. ἐκείνων δὲ προειληφότων ἱκανὸν

διάστημα, καὶ τῆς νυκτὸς ἐπιλαβούσης, ἔφθασαν οἱ περὶ τὸν Τιμολέοντα ἀποπλεύσαντες εἰς τὸ Ταυρομένιον.

ὑποδεχομένου καὶ καλοῦντος αὐτοὺς ἔτι πάλαι προθύμως Ἀνδρομάχου τοῦ τὴν πόλιν ἔχοντος καὶ δυναστεύοντος. Discimus e Diod. L. XVI, Cap. 7 hunc Andromachum, virtute et opibus insignem, urbe Naxo a Dionysio diruta, cives dispersos collegisse atque in colle Tauro prope rudera veteris urbis Tauromenium condidisse, ἀπὸ τῆς ἐπὶ τοῦ Ταύρου μονῆς, ut ait Diod., nominatum (Cf. L. XIV, Cap. 59: τὴν πόλιν διὰ τὸ μεῖναι τοὺς ἐπὶ τὸν Ταῦρον ἀθροισθέντας Ταυρομένιον ὠνόμασαν).

Eum patrem Timaei historici fuisse testantur et Plutarchus et Diodorus l.l. et Marcellinus in vita Thucydidis § 27: Τίμαιος δ' ὁ Ταυρομενίτης Τιμολέοντα ὑπερεπῄνεσε τοῦ μετρίου, καθότι Ἀνδρόμαχον τὸν ἑαυτοῦ πατέρα οὐ κατέλυσε τῆς μοναρχίας. Opinatur quoque Polybius vehementissima convicia in Timaeum effundens hunc scriptorem Timoleonti nimias tribuisse laudes. Ipse tamen Polybius vituperandi studio, ut puto, incensus satis iniquum iudicium de Timoleonte ferre videtur. V. fragmenta L. XII, Cap. 23 ed. Dind.: Si Callisthenem, ait, iure et merito propter iram divinam mortuum esse statuendum, quid facias Timaeo? Nam multo magis deos huic

iratos fuisse par est, quam Callistheni. Hic enim Alexandrum inter deorum numerum referre voluit, *Τίμαιος δὲ μείζω ποιεῖ Τιμολέοντα τῶν ἐπιφανεστάτων θεῶν*; ac quidem Callisthenes talem virum, quem omnes magnitudine animi supra hominum modum excessisse concedant, Timaeus vero *Τιμολέοντα τὸν οὐχ οἷον δόξαντά τι πεπραχέναι μεγαλεῖον, ἀλλ' οὐδ' ἐπιβαλόμενον, μίαν δ' ἐν τῷ βίῳ γραμμὴν διανύσαντα, καὶ ταύτην οὐδὲ σπουδαίαν τρόπον τινὰ πρὸς τὸ μέγεθος τῆς οἰκουμένης, λέγω δὲ τὴν ἐκ τῆς πατρίδος εἰς Συρακούσας. ἀλλά μοι δοκεῖ*, acerbe Polybius addit, *πεισθῆναι Τίμαιος ὡς ἂν Τιμολέων, πεφιλοδοξηκὼς ἐν αὐτῇ Σικελίᾳ, καθάπερ ἐν ὀξυβάφῳ, σύγκριτος φανῇ τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν ἡρώων, κἂν αὐτὸς ὑπὲρ Ἰταλίας μόνον καὶ Σικελίας πραγματευόμενος εἰκότως παραβολῆς ἀξιωθῆναι τοῖς ὑπὲρ τῆς οἰκουμένης καὶ τῶν καθόλου πράξεων πεποιημένοις τὰς συντάξεις.*

διὸ καὶ Τιμολέοντι τότε τὴν πόλιν ὁρμητήριον παρέσχε κ. τ. λ. Cf. Diod. Cap. 68, 8: *ὁ δὲ τῆς πόλεως ταύτης ἡγούμενος, διὰ παντὸς πεφρονηκὼς τὰ τῶν Συρακοσίων, Ἀνδρόμαχος, φιλοφρόνως ὑπεδέξατο τοὺς διωκομένους, καὶ πολλὰ συνεβάλετο πρὸς τὴν σωτηρίαν αὐτῶν.*

CAP. XI.

χαλεπῶς φέροντες ἐν τῷ κατεστρατηγῆσθαι κ. τ. λ. Reiskius et hoc loco et in priore capite (*ἐπιθυμοῦντες ἐν Κορινθίοις τὰ πράγματα τῶν Σικελιωτῶν γενέσθαι*) pro *ἐν* scripsit *ἐπί*. Rectissime, ut nobis videtur. Nam priore loco praepositio significat *in manibus*, *in potestate* Corinthiorum, qua significatione praep. *ἐπί* dativo coniunctam passim usurpari videmus. Ad secundum locum Sintenisius annotat: „*ἐν τῷ κατεστρατηγῆσθαι* iungenda cum *διατριβὴν παρεῖχον*," quod vix mihi persuaderi potest. Contra sic videtur: *τὸ κατεστρατηγῆσθαι* rationem reddit *τοῦ χαλεπῶς φέρειν*, id autem, quod Rheginis risum movit, est, quod eos, quorum fides pessime audiret apud omnes, se fallacia adversariorum circumventos esse graviter ferre viderent.

διατριβὴν τοῖς Ῥηγίνοις παρεῖχον. Cf. vitam Alcibiadis Cap. XIII: Hyperbolus *τοῖς κωμικοῖς ὁμοῦ τι πᾶσι διατριβὴν ἀεὶ σκωπτόμενος ἐν τοῖς θεάτροις παρεῖχεν*. Ad nostrum locum Schaeferus: „Coraes recte interpretatur *γέλωτα*." Nititur haec interpretatio loco in vita Niciae Cap. XI: *ἡδονὴν τοῦτο καὶ γέλωτα τῷ δήμῳ παρέσχεν*, quibus verbis

prorsus idem declaratur. Cf. Lucian. Gall. § 23: ὅταν ὁ Κροῖσος — γέλωτα παρέχῃ Πέρσαις ἀναβαίνων ἐπὶ τὸ πῦρ.

ἀμφότεροι δὲ φάσκοντες ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας ἥκειν καὶ καταλύειν τοὺς μονάρχους. Quoniam in participio φάσκοντες significatio promittendi inesse videtur, una literula inserta legere volui καὶ καταλύσειν, cum incidi in annotationem Reiskii: „aut καὶ καταλύσειν leg. in futuro, subaudito φάσκοντες e communi, aut καὶ (subaudi ὑπὲρ) τοῦ καταλύειν." Priorem lectionem utique praetulerim.

χρυσὸν ἔδειξαν τῇ Σικελίᾳ τὰς ἐν τῇ τυραννίδι συμφοράς. Vir doctissimus Van de Laar in Observatt. crit. ad vitam Dionis pag. 19 laudat locum in vita Sertorii Cap. V: (Mariani superbe et crudeliter saeviebant), ὥστε χρυσὸν ἀποδεῖξαι Ῥωμαίοις τὰ τοῦ πολέμου κακά, et Platonis q. f. Ep. VII, pag. 324 D: καὶ ὁρῶν δήπου τοὺς ἄνδρας ἐν χρόνῳ ὀλίγῳ χρυσὸν ἀποδείξαντας τὴν ἔμπροσθεν πολιτείαν, ex emendatione Hemsterhusii pro χρυσῆν.

μακαριωτέρους δόκεῖν ἐποίησαν τοὺς καταστρέψαντας ἐν τῇ δουλείᾳ τῶν ἐπιδόντων τὴν αὐτονομίαν. Vix opus est verbum facere de notissimo ἐφορᾶν, quod v. c. luculenter illustratur illo loco ap. Xenophontem, ubi Thrasybulus

milites ad pugnam cohortatur (Hist. Gr. II, 4, 17): ὦ μακάριοι δῆτα, οἳ ἂν ἡμῶν νικήσαντες ἐπίδωσι τὴν πασῶν ἡδίστην ἡμέραν. Infra idem verbum occurrit ap. nostrum Cap. XV: Πλάτων μὲν οὖν οὐκ ἐπεῖδεν ἐν Κορίνθῳ Διονύσιον; quae sequuntur, extrinsecus addita esse contendere non ausim, sed certe abundant et abesse possint; dico verba: ἀλλ' ἔτυχεν ἤδη τεθνηκώς; occurrit Cap. XXXVI extr.: ὧν (ἀγαθῶν scil.) μέγιστον ἦν τὸ πόλεις τοσαύτας καὶ μυριάδας ἀνθρώπων δι'ἑαυτὸν ἐφορᾶν εὐδαιμονούσας; et Cap. XXXVII: τοῖς δὲ θεοῖς ἔφη χάριν ὀφείλειν, ὅτι εὔξατο Συρακοσίους ἐπιδεῖν τῆς παρρησίας κυρίους γενομένους.

CAP. XII.

De rebus ad Adranum gestis breviter exponit Diodorus Cap. 68, 9: Hicetam cum flore et robore exercitus sui, hominum milibus V, profectum esse adversus Hadranitas (haec est nominis forma ap. Diod.), et non longe ab oppido castra posuisse. Nonnihil discrepantiae est in numero copiarum, quas Timoleonti tribuit Diod. ita scribens: ὁ δὲ Τιμολέων προσλαβόμενος παρὰ τῶν Ταυρομενιτῶν στρατιώτας ἀνέζευξεν ἐκ τοῦ Ταυρομενίου, τοὺς ἅπαντας ἔχων οὐ πλείους τῶν χιλίων. (Eundem numerum noster superiore cap. nominat; fortasse e Tauromenitanis

CC accessisse vult). Cetera ut ap. Plut.: „Nocte cadente profectus (habes Plutarcheum τῆς ἡμέρας καταφερομένης, quod Plut. apud Timaeum vel quicunque scriptor harum rerum fontem suppleverit, sibi lectum in magis accurata narratione fortasse rectius ad secundum diem rettulit) postero die ad Adranum pervenit; Hicetae copias necopinato aggressus castra invasit ac plus CCC occisis, captis circiter DC castris potitus est."

Breviter perstringamus miram discrepantiam inter Diodorum et Plutarchum in narratione earum rerum, quae hanc pugnam secutae sunt. Non est mei propositi, totam quaestionem retractare, quod nisi longiore disputatione inita et omnibus rationibus accurate perpensis fieri non potest; satis habeo sequi sententiam eorum, qui doctissime et acutissime de hac re disputaverunt, imprimis G. Grotii in Historia Graeca (Vol. XI, Cap. 85) et Arnoldtii in Vita Timoleontis. Totius rei summa huc redit: Diodorus omnia leviter tantum attingens Timoleontem statim post proelium factum citato itinere Syracusas contendisse ait. Diod. Cap. 68, § 11: τούτῳ δὲ τῷ στρατηγήματι ἕτερον ἐπεισάγων παραχρῆμα ἐπὶ τὰς Συρακούσας ἀφώρμησε, καὶ δρομαῖος τὴν ὁδὸν διανύσας ἀπροσδοκήτως προσέπεσε ταῖς Συρακούσαις, καταταχήσας τοὺς ἀπὸ τῆς τροπῆς φεύγοντας. ταῦτα μὲν οὖν ἐπράχθη κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτόν.

Itaque ultima haec, quae exponit scriptor, facta sunt circa solstitium aestivum anni 344. Sequenti autem capite Timoleon repente duarum urbis partium, Tychae et Epipolarum, dominus vocatur. Diod. Cap. 69, 3: Timoleon Hadranitis et Tyndaritis in societatem receptis milites haud paucos ab iis accepit; *ἐν δὲ ταῖς Συρακούσαις πολλὴ ταραχὴ κατεῖχε τὴν πόλιν, Διονυσίου μὲν τὴν Νῆσον ἔχοντος, Ἱκέτα δὲ τῆς Ἀχραδινῆς καὶ Νέας πόλεως κυριεύοντος, Τιμολέοντος δὲ τὰ λοιπὰ τῆς πόλεως παρειληφότος.* Et § 6, foedere cum Mamerco, Catanae tyranno (cf. Plut. Cap. XIII), subsidiorum Corinthiorum adventu (cf. Plut. Cap. XIX) et turpi fuga exercitus Punici (cf. Plut. Cap. XX) commemoratis: *μονωθέντος δὲ τοῦ Ἱκέτα, Τιμολέων περιγενόμενος τῶν πολεμίων ἐκράτησε τῶν Συρακουσῶν*, i. e. eas partes urbis cepit, quae Achradina et Neapolis appellantur. Inter haec omnia, si Diodoro credimus, Dionysius arcem cum Insula obtinuit; qui sequenti demum anno (Ol. CIX, 2, a. C. 343) Corinthiorum felici successu perterritus et animum despondens deditionem fecisse perhibetur. Diod. C. 70 init.: *ἐπὶ δὲ τούτων* (i. e. C. Plautio, T. Manlio Romae coss.) *Τιμολέων καταπληξάμενος Διονύσιον τὸν τύραννον ἔπεισεν αὐτὸν παραδοῦναι τὴν ἀκρόπολιν, καὶ τὴν ἀρχὴν ἀποθέμενον ἀπελθεῖν εἰς Πελοπόννησον ὑπόσπονδον ἔχοντα τὰ ἴδια χρήματα.*

Contra Plutarcho auctore prima facta est deditio Insulae (Cap. XIII), tum exiguā manus Corinthiorum, quae Neone duce arci Insulaeque praesidio erat, propter hostium socordiam repentina eruptione facta Achradinam occupat (Cap. XVIII), tandem post discessum Magonis, ducis Poenorum, Timoleon auxiliaribus e patria missis auctus et confirmatus reliquas urbis partes, Neapolim cum Tycha et Epipolis, tripartito adortus feliciter expugnat, nullo ex suorum numero interfecto aut vulnerato (Cap. XXI).

Qui praeferunt narrationem Plutarchi, me iudice recte faciunt. Nam facile est videre, huius narrationis partes tam arte inter se cohaerere, ut si Insulae deditionem primam factam esse negaveris, credendum tibi sit auctorem in sequentibus omnibus aut errare aut de suo fingere. Ex ea deditione omnia pendent; nam ex arce et Insula primo Achradina capta est, postea Timoleonte in reliquas urbis partes trifariam impetum faciente una pars copiarum, Isia Corinthio duce, ex Achradina hostes oppugnavit. — Si Diodorum inspexeris, quam parum veri simile est, Timoleontem cum copiis et itinere et proelio fatigatis *παραχρῆμα ἐπὶ τὰς Συρακούσας ἀφορμῆσαι*, eumque *δρομαῖον τὴν ὁδὸν διανύσαντα ἀπροσδοκήτως προσπεσεῖν ταῖς Συρακούσαις* (cf. Cap 68, § 11). Omnino

Plutarchus urbis expugnationem diligenter et accurate et in omnibus sibi constans exposuit, Diodorus aliquanto brevius et obscurius et confusius; neque huius auctoritas vulgo tam gravis habetur, quin Chaeronensi totam rem luculenter et ordine explicanti libens primas deferas.

CAP. XIII.

καὶ γὰρ πόλεις εὐθὺς ἐπιπρεσβευόμεναι προσετίθεντο τῷ Τιμολέοντι. Videntur Tyndaritani fuisse inter primos, qui ad Timoleontis societatem sese applicaverunt, cf. Diod. Cap. 69, 3.

καὶ κομισθεὶς εἰς τὸ τοῦ Τιμολέοντος στρατόπεδον — ἐπὶ μιᾶς νεὼς καὶ χρημάτων ὀλίγων εἰς Κόρινθον ἀπεστάλη. Polybius L. XII multa in Timaeum invectus exprobrat ei etiam (Cap. IV a, ed. Dind.), quod Theopompum correxerit, qui Dionysium navi oneraria Corinthum navigasse rettulisset, cum re vera fuisset navis longa. Theopompum sequitur Diod. Cap. 70, 3: *ὁ γὰρ ἔχων τετρακοσίας τριήρεις μετ' ὀλίγον ἐν μικρῷ στρογγύλῳ πλοίῳ κατέπλευσεν εἰς τὴν Κόρινθον, περίβλεπτον ἔχων τὴν τῆς μεταβολῆς ὑπερβολήν.* Res haud ita magni momenti, nisi quis veri simile putat Timoleontem, quo maiore honore

Dionysii calamitatem prosequeretur, ad eum in Graeciam deducendum potius navi longa usum esse *).

ταῦτα μὲν οὖν ἐν τοῖς περὶ Δίωνος ἀκριβῶς γέγραπται. Non multa in vita Dionis reperies, quae haec illustrare possint. In fine vitae, Cap. LVIII, exponitur nobis tristis exitus Aristomaches, Dionis sororis, quae maiori Dionysio nupta fuerat (Dio Cap. III), cum filia Arete, quam viduam reliquerat avunculus idemque maritus Dio, et huius parvulo filio. Nobilissimae mulieres, foedissimo Callippo mortuo ex tenebris et carcere protractae, confugerant ad Hicetam, Leontinorum tyrannum, qui supplices aliquamdiu incolumes conservatas, a Dionis inimicis impulsus, in navim impositas, tanquam in Peloponnesum navigaturas, cum infante in vinculis nato telo percuti atque in mare demergi iussit. At uxor Dionysii minoris, quae fuit Sophrosyne, soror eodem patre nata et filia eiusdem Aristomaches, in vita Dionis semel tantum obiter commemoratur (cf. Plut. Dionem, Cap. VI init. et Nepotis Dionem, Cap. I). Putandum est igitur Plutarchum hoc loco in satis mirabilem errorem sese implicavisse, qui aut minus bene meminerit quid ipse in vita

*) De hac re cf. Grote, Hist. of Greece, XI, pag. 214.

Dionis super hac re scripserit, aut unam cum altera persona confuderit. Nam inter perpetua bella complures feminae principes crudeli atque horrenda nece perierunt; fere idem, quod nostro loco de Dionysii minoris uxore, alibi Plutarchus narrat de prima uxore maioris Dionysii, Hermocratis Syracusani filia, quae a Syracusanis, qui a tyranno defecerant, ultimas contumelias perpessa ipsa mortem sibi conscivit (Plut. Dio Cap. III).

Sed aliunde, etsi non ex vita Dionis, de uxore et liberis Dionysii constat. Ipse Plutarchus Reip. ger. praec. pag. 821 D: *τοὺς μὲν γὰρ Διονυσίου παῖδας καὶ τὴν γυναῖκα καταπορνεύσαντες οἱ περὶ τὴν Ἰταλίαν ἀνεῖλον, εἶτα κατακαύσαντες τὰ σώματα τὴν τέφραν κατέσπειραν ἐκ πλοίου κατὰ τῆς θαλάττης*. Plenius rem exponit Athenaeus L. XII, pag. 541 C, Clearchi Solensis *Βίους* secutus. Nota res est, Dionysium minorem a Dione expulsum Locros Epizephyrios se contulisse, unde mater eius Doris oriunda erat. Legimus ap. Athen., tyrannum exulem Locris degentem effusa luxuria ac stupris flagitiisque in odium civium incucurrisse. Sed Locrenses horribili modo virginum suarum contumelias ulti sunt; namque Dionysio absente *μετ' οὐ πολὺν χρόνον οἱ ὑβρισθέντες, γυναῖκα καὶ τέκνα ἐκείνου λαβόντες, ὑποχείρια ἐπὶ τῆς ὁδοῦ στήσαντες μεθ' ὕβρεως ἐνηκολάσταινον αὐτοῖς· καὶ ἐπεὶ τῆς ὕβρεως*

πλήρεις ἐγένοντο, κεντοῦντες ὑπὸ τοὺς τῶν χειρῶν ὄνυχας βελόναις ἀνεῖλον αὐτούς. Ne inanimis quidem corporibus ira pepercit; namque τελευτησάντων τὰ μὲν ὀστᾶ κατέκοψαν ἐν ὅλμοις, τὰ δὲ λοιπὰ κρεανομησάμενοι ἐπηράσαντο πάντες τοῖς μὴ γευσαμένοις αὐτῶν· ὅθεν πρὸς τὴν ἀνόσιον ἀρὰν κατήλεσαν αὐτῶν τὰς σάρκας, ἵν' ἡ τροφὴ σιτοποιουμένων κατεδεσθῇ, τὰ δὲ λείψανα κατεπόντωσαν. Quae fere iisdem verbis leguntur ap. Aelianum Var. Hist. L. IX, Cap. 8, ex eodem Clearcho, ut videtur, descripta.

CAP. XIV.

Hoc capite et sequenti Plutarchus excursum habet de Dionysio exule. Non multa de eadem re tradit Diodorus; scribit tantum Cap. 70, eum certis legibus deditione facta in Peloponnesum abiisse ἔχοντα τὰ ἴδια χρήματα, et paulo infra: κατεβίωσεν ἀπορούμενος ἐν Κορίνθῳ. Hic illic apud scriptores dispersae sunt notitiae de tyranni exilio. Multa et sine dubio rhetorice amplificata habet Iustinus L. XXI, Cap. 5: „(Dionysius) deposito imperio arcem Syracusanis" (hoc certe falsum) „cum exercitu tradidit receptoque privato instrumento Corinthum in exilium proficiscitur. Ibi humillima quaeque tutissima existimans in sordidissimum vitae genus descendit: non contentus in

publico vagari, sed potare; nec conspici in popinis lupanaribusque, sed totis diebus desidere; cum perditissimo quoque de minimus rebus disceptare; pannosus et squalidus incedere; risum libentius praebere quam captare; in macello perstare; quod emere non poterat, oculis devorare; apud aediles adversus lenones iurgare; omniaque ista facere, ut contemnendus magis quam metuendus videretur." Cf. Aelian. V. H., L. VI, Cap. 12: *αὐτὸς δὲ ἐν πενίᾳ μυρίᾳ διάγων κατέστρεψε τὸν βίον γηραιός.* Theopompum secutus addit tyrannum *ἀποκαθῆσθαι ἐν τοῖς κουρείοις* (fortasse *ἐπὶ τοῖς κ.*, si licet Aristophanis auctoritatem sequi in Pluto vs. 338 scribentis: *ἐπὶ τοῖσι κουρείοισι τῶν καθημένων*) *καὶ γελωτοποιεῖν.* Pergit Aelian.: *καὶ ἐν τῷ μεσαιτάτῳ τῆς Ἑλλάδος ἀσχημονῶν διετέλει, βίον διαντλῶν ἀλγεινότατον.* Fama erat tyrannum Matris Deum sacerdotem esse factum, v. Aelian. L. IX, Cap. 8: *ὁ δὲ ἐν Κορίνθῳ πολλαῖς καὶ ποικίλαις χρησάμενος βίου μεταβολαῖς διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν ἀπορίαν, τελευταῖον δὲ μητραγυρτῶν καὶ κρο..ων τύμπανα καὶ καταυλούμενος τὸν βίον κατέστρεψεν*, quae ex Clearcho Solensi descripsit ut Athenaeus L. XII, pag. 541 E: *αὐτὸς δὲ Διονύσιος τέλος μητραγυρτῶν καὶ τυμπανοφορούμενος οἰκτρῶς τὸν βίον κατέστρεψεν.* Illa quoque fama multos auctores habet, Dionysium prae inopia pueros literas docuisse ut

Ciceronem Tusc. L. III, Cap. 12: „Dionysius quidem tyrannus Syracusis expulsus Corinthi pueros docebat: usque eo imperio carere non poterat;" Val. Max. L. VI, 9, ext. 6: „Dionysius autem — propter inopiam literas puerulos Corinthi docuit, eodemque tempore tanta mutatione maiores natu, ne quis nimis fortunae crederet, magister ludi factus ex tyranno monuit." Iustin. l.l.: „Novissime ludi magistrum professus pueros in trivio docebat, ut aut a timentibus semper in publico videretur aut a non timentibus facilius contemneretur;" Lucian. Gall. 23: ὅταν — Διονύσιος καταλυθείσης τῆς τυραννίδος ἐν Κορίνθῳ γραμματιστὴς βλέπηται, μετὰ τηλικαύτην ἀρχὴν παιδία συλλαβίζειν διδάσκων. Alios laudat Wesseling. ad Diod. L. XVI, Cap. 70.

His temporibus arbitror neminem esse quin concedat has esse fabellas ab historicis et rhetoribus ornandi et exaggerandi studio confictas. Fieri non potest, ut Dionysius Corinthi in summa penuria et egestate vitam consumpserit. Videmus eum apud Plutarchum (capite sequenti) variorum hominum consuetudine fruentem; videmus eum cum rege Philippo in convivio discumbentem. Pro superiore vita tenui fortuna et modicis copiis vixerit, illa tamen non cadunt in eum, qui fame et inopia urgetur. Credere licet Diodoro et Iustino, tyrannum ἔχοντα

τὰ ἴδια χρήματα et „recepto privato instrumento" ex Insula decessisse. Non eo ingenio erat victor, neque tantulum fructum e deditione capiebat, quin hosti devicto, in exilium abituro tantum relinqueret, quod honesto victui satis esset. Pretiosam supellectilem habuit tyrannus; ex qua vendita statuendum est eum magnam pecuniam redegisse. Empta enim est a Dionysio, Heracleae Ponticae tyranno; v. fragmenta Memnonis Heracleotae ap. Photium, p. 224 ed. Bekk.: ἐπὶ μέγα ἡ ἀρχὴ αὐτῷ (Dionysio Heracleae tyr.) διήρθη πλούτου τε περιβολῇ — καὶ ἰδίᾳ φιλοκαλίᾳ. καὶ γὰρ καὶ τὴν τοῦ Διονυσίου πᾶσαν ἐπισκευὴν τοῦ Σικελίας τυραννήσαντος αὐτὸν ἐπῆλθεν ἐξωνήσασθαι, τῆς ἀρχῆς ἐκείνου διαφθαρείσης.

οἱ δ' ὑπὲρ τοῦ καταφρονεῖσθαι — ἐπιτηδεύειν καὶ ὑποκρίνεσθαι παρὰ φύσιν κτἑ. Simillima habet Iustin. XXI, 5 in fine cap.: „Simulatio haec vitiorum, non naturae (leg. natura) erat, magisque haec arte quam amisso regali pudore faciebat, expertus, quam invisa tyrannorum forent etiam sine opibus nomina" cet.

CAP. XV.

ἐπεὶ δὲ τῶν βουλομένων τις εὐφυῶν εἶναι σκώπτων τὸν

Διονύσιον ἐξέσεισε τὸ ἱμάτιον εἰσιὼν πρὸς αὐτόν, ὡς δὴ πρὸς τύραννον, ἀντισκώπτων ἐκεῖνος κ. τ. λ. Verba ὡς δὴ πρὸς τύραννον magistrum, non Plutarchum redolere videntur; qui scriptorem nostrum legebant, probe sciebant moris fuisse ut, qui tyrannum convenirent, introeuntes pallium excuterent, ne telum occultum habere viderentur. Itaque ea verba tanquam explicationis gratia ab altero addita circumscribenda censeo.

Φιλίππου δὲ τοῦ Μακεδόνος κ. τ. λ. Dionysii tragoediarum specimen, quamquam in Aeschyli pugillaribus scriptum, ridemus cum Luciano Adv. Indoct. § 15; eiusdem insulsas etymologias legimus ap. Athenaeum L. III, p. 98 D: virginem vocabat μένανδρον, ὅτι μένει τὸν ἄνδρα; columnam μενεκράτην, ὅτι μένει καὶ κρατεῖ; βαλλάντιον iaculum, ὅτι ἐνάντιον βάλλεται; murium latebras μυστήρια, ὅτι τοὺς μῦς τηρεῖ; Philoxeni de regia poesi iudicium ap. Diod. L. XV, Cap. 6; quomodo victoria ludis Lenaeis a tyranno reportata ei causa mortis fuerit, ap. eundem L. XV, C. 74.

Aliam historiolam de Dionysio et Philippo tradit Aelian. V. H., L. XII, Cap. 60: Philippus in convivio aderat cum Dionysio. Sermones multi inciderunt, atque inter alia rex e Dionysio quaesivit, quae causa esset, cur tantam dominationem a patre acceptam non conservasset?

Ille haud illepide respondit: „Quia pater cetera omnia mihi reliquit praeter felicitatem, qua illa et adeptus est et integra servavit."

Ὥστε μοι παραβάλλοντι τούτοις τὰς Φιλίστου φωνάς, ἃς ἀφίησι περὶ τῶν Λεπτίνου θυγατέρων ὀλοφυρόμενος. Una e Leptinis filiabus uxor fuit Philisti. Cf. vitam Dionis Cap. XI: Magnum locum tenebat apud maiorem Dionysium Philistus, ita ut diu arci, quae erat in insula Ortygia, praefuerit. Sed cum Leptines, frater tyranni, iniussu eius alteram ex filiabus collocasset Philisto, iratus tyrannus uxorem Philisti in vincula coniecit, ipsum exilio multavit; qui in litore Superi maris apud hospites quosdam suos in summo otio degens magnam partem historiarum suarum scripsit.

CAP. XVI.

In hoc capite una et altera legitur forma non bene Graeca, veluti initio cap. forma *ἱππεῖς* accusativo, et hic et multis aliis in hac vita locis scribis imputanda et quantocius in -*έας* refingenda. Circa medium legitur sententia *καὶ πεσόντος οὔθ' ὁ παίσας ἔμεινεν οὔθ' ὁ μετὰ τοῦ πληγέντος ἥκων*; docet V. Cl. Cobetus harum formarum usum

apud Atticos, V. L. p. 330 s.s. Inde apparebit Plutarchum recte usum esse participio *πληγείς*, sed aoristum *ἔπαισα* e tragicorum lingua esse desumptum; debuerat dicere *ὁ πατάξας* pro eo, qui vulnus inflixit, ut in loco Thucydidis VIII, 92, quem laudat V. Cl.: *ὁ Φρύνιχος πληγεὶς ἀπέθανε παραχρῆμα καὶ ὁ πατάξας διέφυγεν.* Tum infra Plutarchus uti videtur optativo *ἀπεκτονήκοι*; barbarum est perfectum *ἀπεκτόνηκα* et Constantinopoli natum (Cob. N. L. p. 56); restituendum igitur *ὃν ἐκεῖνος ἀπεκτονοίη.*

CAP. XVII.

πεζῶν δὲ μυριάδας ἐξ ἀποβιβάζων. Discrepantia in numero copiarum Carthaginiensium est ap. Diodorum 69, 3 (praepostere adventum Poenorum collocat ante deditionem arcis et Insulae, cum Corinthios Epipolas et Tycham tunc iam occupasse falso tradat): *πολλὴ ταραχὴ κατεῖχε τὴν πόλιν κτέ.* (cf. quae ad Cap. XII annotavimus) — *Καρχηδονίων τριήρεσι μὲν ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα καταπεπλευκότων εἰς τὸν μέγαν λιμένα, πεζοῖς δὲ στρατιώταις πεντακισμυρίοις κατεστρατοπεδευκότων.*

CAP. XVIII.

ἃ μάλιστα χειμῶνι παρεισέπιπτε. Saepius legimus verbum *παρεισπίπτειν*, ut supra Cap. XIII: *κρύφα καὶ κατ' ὀλίγους παρεισπεσόντας*, et ap. Diodor. v. c. L. XVI, Cap. 68, 10: *παρεισπεσὼν δ' εἰς τὴν παρεμβολήν.* Habet eam significationem, de qua nulla dubitatio esse possit, nempe: clam, furtim in aliquem locum irrepere et illabi. Facere ut aliquis clanculum in locum se insinuet, est *παρεισάγειν*, ut in hoc capite: *κλέπτων καὶ παρεισάγων τὴν συμμαχίαν.* Contrarium, ut videtur, optime reddit verbum *διεκδύεσθαι*, *διεκδῦναι*, furtim elabi; legitur ap. nostrum, ubi exponit quomodo Poenis os sublitum sit a Timoleonte et Rheginis, Cap. X: *διεκδὺς τὸν ὄχλον, ἅμα τῶν περὶ τὸ βῆμα Ῥηγίνων συνεπικρυπτόντων κ. τ. λ.*

ἃ δὴ συνορῶντες οἱ περὶ τὸν Μάγωνα καὶ τὸν Ἱκέτην ἐβούλοντο τὴν Κατάνην ἑλεῖν, ἐξ ἧς ἔπλει τὰ ἐπιτήδεια (l. *τἀπιτήδεια*) *τοῖς πολιορκουμένοις.* Versamur in obsidione Insulae s. Ortygiae, quo Timoleon deditione facta (cf. Cap. XIII) CCCC milites Euclide, Telemacho et Neone ducibus miserat; hi praeter MM mercenariorum, quos tyrannus, ut reliqua, Timoleonti tradiderat, arci Insu-

laeque praesidio erant. Legimus Cap. XVI, hos ab Hiceta obsideri commeatuque intercludi (*σῖτον ἐκώλυεν εἰσπλεῖν τοῖς Κορινθίοις*). Initio huius capitis narratur Timoleon ex oppido Catana lembis cymbisque frumentum laborantibus suis summittere. Post duos versus sequuntur haec: Quo facto Mago et Hicetas consilium ceperunt (nam placet lectio *ἐβουλεύοντο* pro *ἐβούλοντο*, ut significavi ad Cap. II) Catanae expugnandae, *ἐξ ἧς ἔπλει τἀπιτήδεια τοῖς πολιορκουμένοις*. Odiosa et molesta mihi videtur repetitio eius rei, quam unusquisque lector non prorsus alias res agens ex proxime praecedentibus statim colligere possit. Itaque ea sex verba a lectore aliquo profecta et in marginem esse releganda videntur. Quod si forte nimis audacter novatum, ea verba non ad sensum necessaria esse atque ineleganter abundare certe statuere licet.

CAP. XX.

τήν τε Μεσσήνην εὐθὺς εἶχε κ. τ. λ. Messanam captam Diodorus post Carthaginiensium discessum ac post Syracusas excepta Insula occupatas collocat, in hac re ut in aliis temporum ordinem parum diligenter observans; Cap. 69, 6: *εὐθὺς δὲ καὶ τὴν Μεσσήνην μετατιθεμένην πρὸς Καρχηδονίους ἀνεκτήσατο.*

Ceterum exponitur nobis hoc capite, quomodo orta suspicio inter Magonem et Hicetam creverit sermonibus, quos inter se habebant mercenarii ex utroque Graeco exercitu, per otium et inducias in captandis anguillis, quae circa urbem nasci dicuntur, occupati. Exprobrabant Corinthii Hicetae militibus, quod barbaris ad Graecam regionem subigendam operam suam commodarent. Haec ubi in castris percrebruerunt, Mago proditionem metuens neglectis Hicetae precibus statim solvit ex portu et omnibus copiis in Africam discessit. In hoc non consentit Diodorus Cap. 69, 5 scribens: *ὧν πραχθέντων* (i. e. Corinthiorum subsidiis a Timoleonte acceptis) *Τιμολέων μὲν ἐθάρρησεν, οἱ δὲ Καρχηδόνιοι φοβηθέντες ἀπέπλευσαν ἐκ τοῦ λιμένος ἀλόγως, καὶ μετὰ πάσης τῆς δυνάμεως εἰς τὴν ἰδίαν ἐπικράτειαν ἀπηλλάγησαν.* Constat Magonem infamia notatum prae desperatione se ipsum interfecisse, namque (Cap. XXII) nuncius venit in Siciliam, *τοὺς Καρχηδονίους τοῦ μὲν Μάγωνος ἑαυτὸν ἀνελόντος ἀνεσταυρωκέναι τὸ σῶμα διὰ τὴν στρατηγίαν ὀργισθέντας κτέ.*

CAP. XXII.

γενόμενος δὲ τῆς ἄκρας κύριος οὐκ ἔπαθε Δίωνι ταὐτὸ πάθος. Legitur in vita Dionis Cap. LIII: Heraclides

κατηγόρει τοῦ Δίωνος, ὅτι τὴν ἄκραν οὐ κατέσκαψε καὶ τῷ δήμῳ τὸν Διονυσίου τάφον ὡρμημένῳ λῦσαι καὶ τὸν νεκρὸν ἐκβαλεῖν οὐκ ἐπέτρεψε. De eversione arcis cf. Nepotem Cap. III: „Arcem Syracusis, quam munierat Dionysius ad urbem obsidendam, a fundamentis disiecit, cetera tyrannidis propugnacula demolitus est deditque operam, ut quam minime multa vestigia servitutis manerent."

ἀρχὴν ἐλευθερίας ποιησάμενοι βεβαιοτάτην τὸ κήρυγμα καὶ τὴν ἡμέραν ἐκείνην. Fortasse Plutarchi oculis obversabatur notissimus locus e Xenophontis Hist. Gr. (L. II, Cap. 2, 24), ubi exules Lysandro duce in patriam restituti magna alacritate, tibiis canentibus, Athenarum moenia diruisse narrantur, *νομίζοντες ἐκείνην τὴν ἡμέραν τῇ Ἑλλάδι ἄρχειν τῆς ἐλευθερίας.*

τῶν δὲ τὰς τυραννίδας φευγόντων. Notum est nostri arbitrii esse, utrum adhibendum sit in talibus praesens tempus an aoristus. Probabile videtur reponere *φυγόντων*, propter *διαφθαρέντων* quod proxime praecedit; eandem lectionem habent Reiskius, Coraes, Schaeferus et bona pars codicum. Item Cap. praecedenti, in verbis *τῶν περὶ τὸν Ἱκέτην ἀνατραπέντων καὶ φευγόντων*, eadem literula

expuncta participium aoristi rescribere velim, Schaeferum secutus, qui in annot.: „φευγόντων] malim φυγόντων. Statim sequitur ἐκπεσόντων."

ὡς ἔτους ὥρᾳ διαβησομένους εἰς Σικελίαν. Cf. Thuc. L. VI, Cap. 70, ubi dicuntur tonitrua et imbres incidisse in aciem, ita ut iis, qui in re militari haud magnum usum habebant, timorem auxerint, τοῖς δ' ἐμπειροτέροις τὰ μὲν γιγνόμενα καὶ ὥρᾳ ἔτους περαίνεσθαι δοκεῖν κ. τ. λ. Plut. in Dione Cap. XVI: ἐν τούτῳ δὲ πολέμου τινὸς ἐμπεσόντος ἀποπέμπει τὸν Πλάτωνα, συνθέμενος εἰς ὥραν ἔτους μεταπέμψασθαι (corrige — ψεσθαι) Δίωνα.

CAP. XXIII.

Ad ea quae hoc capite narrantur cf. Nepotem initio Cap. III: „cum propter diuturnitatem belli non solum regiones, sed etiam urbes desertas videret, conquisivit quos potuit, primum Siculos, dein Corintho arcessivit colonos, quod ab eis initio Syracusae erant conditae."

οἱ δὲ συνελθόντες εἰς Κόρινθον — γενόμενοι μυρίων οὐκ ἐλάττους κατέπλευσαν εἰς Συρακούσας. Dimidium numerum legimus ap. Diodor. Cap. 82, 3: ὑπεδέξατο δὲ καὶ

τοὺς ὑπὸ Κορινθίων ἐκπεμφθέντας οἰκήτορας φιλοφρόνως, ὄντας τὸν ἀριθμὸν πεντακισχιλίους.

καὶ γενομένοις αὐτοῖς ἑξακισμυρίοις τὸ πλῆθος. Hic quoque minorem numerum tradit Diod, qui sextam demit partem; C. 82, 5: *κηρύξαντος δ'αὐτοῦ κατὰ τὴν Ἑλλάδα διότι οἱ Συρακόσιοι διδόασι χώραν καὶ οἰκίας τοῖς βουλομένοις μετέχειν τῆς ἐν Συρακούσαις πολιτείας, πολλοὶ πρὸς τὴν κληρουχίαν Ἕλληνες ἀπήντησαν τέλος. δ' οἰκήτορες ἀπεδείχθησαν εἰς μὲν τὴν Συρακοσίαν τὴν ἀδιαίρετον τετρακισμύριοι, εἰς δὲ τὴν Ἀγυριναίαν μύριοι διὰ τὸ μέγεθος καὶ κάλλος τῆς χώρας.*

ὡς Ἄθανις εἴρηκε. Est hic ex historiae scriptoribus non notissimis, quem bis nominat Plutarchus, ex quo Cap. XXXVII notitiam hauserit de oculorum morbo, quo Timoleon in expeditione adversus Hipponem et Mamercum tyrannos laborare coepit. Ap. Athenaeum L. III, pag. 98 D. laudatur primus liber eius *Σικελικῶν.* E Diodori L. XV sub finem (Cap. 94) patet, hunc rerum scriptorem, qui apud eum nomine leviter mutato *Ἀθάνας* audit, XIII libros scripsisse de rebus gestis Dionis inde ab a. Ol. CIV, 3, a. C. 362, cum uno libro VII annorum historiam breviter complexus Philisti opus continuaverit.

ἀγαμένους καὶ τιμῶντας τὸν ἄνδρα τῆς νίκης, ἣν πρὸς Ἱμέρᾳ Καρχηδονίους ἐνίκησεν. De nobilissima Gelonis victoria cf. Diod. L. XII, Cap. 22; eo auctore casu factum est, ut eodem die in Graecia Leonidas cum parva manu sua fortiter pugnans apud Thermopylas occumberet (Diod. Cap. 24). Sin potius credimus Herodoto, testi et antiquiori et haud paulo graviori, Gelo Carthaginienses pepulit eodem die, quo in Graecia depugnatum est ad Salaminem. Hdt. L. VII, Cap. 166: πρὸς δὲ καὶ τάδε λέγουσι, ὡς συνέβη τῆς αὐτῆς ἡμέρης ἔν τε τῇ Σικελίῃ Γέλωνα καὶ Θήρωνα νικᾶν Ἀμίλκαν τὸν Καρχηδόνιον καὶ ἐν Σαλαμῖνι (l. Σαλαμῖνι, deleto ἐν) τοὺς Ἕλληνας τὸν Πέρσην.

CAP. XXIV.

βουλόμενος ὁ Τιμολέων — παντάπασιν ἐκκόψαι τῆς Σικελίας τὰς τυραννίδας κ. τ. λ. Quae Plut. narrat hoc capite, secundum Diod. facta sunt Ol. CIX, 3, a. C. 342. Diod. alia quaedam tradit de Hieta; Cap. 72, § 2: Timoleon in expeditionem ivit adversus Leontinos; namque eo Hicetas cum satis magno exercitu profugerat. Ac primo Novam urbem, quam vocant, oppugnare coepit; tum vero multis militibus intra urbem inclusis et facile ex moenibus hostem

propulsantibus, re infecta Timoleon ab oppugnatione destitit. Is cum ad Engyi obsidionem se convertisset, Hicetas omnibus copiis profectus Syracusas oppugnare instituit; sed multis e suorum numero amissis citato itinere Leontinos reverti debuit.

Λεπτίνου δὲ τοῦ τυραννοῦντος Ἀπολλωνίας καὶ συχνῶν ἄλλων πολιχνίων — παραδόντος αὐτὸν φεισάμενος εἰς Κόρινθον ἀπέστειλε. Inter illa oppidula fuit Engyum; Diod. Cap. 72, § 3: *παρελθὼν δὲ πρὸς πόλιν Ἔγγυον, τυραννουμένην ὑπὸ Λεπτίνου, προσβολὰς συνεχεῖς ἐποιεῖτο, βουλόμενος τὸν μὲν Λεπτίνην ἐκβαλεῖν ἐκ τῆς πόλεως, τοῖς δ' Ἐγγυΐνοις τὴν ἐλευθερίαν ἀποδοῦναι.* Et paulo infra § 5: *ὁ δὲ Τιμολέων καταπληξάμενος τὸν Λεπτίνην τοῦτον μὲν ὑπόσπονδον ἐξέπεμψεν εἰς τὴν Πελοπόννησον, ἐνδεικνύμενος τοῖς Ἕλλησι τὰς τῶν καταπολεμηθέντων τυράννων ἐκπτώσεις. οὔσης δὲ καὶ τῆς τῶν Ἀπολλωνιατῶν πόλεως ὑπὸ τὸν Λεπτίνην, παραλαβὼν τὴν Ἀπολλωνίαν ταύτῃ τε καὶ τῇ τῶν Ἐγγυΐνων ἀπέδωκε τὴν αὐτονομίαν*, in quibus verba *τὴν Ἀπολλωνίαν* abundare et uncinis includenda esse puto, nisi expuncto nomine proprio praestat legere *παραλαβὼν αὐτὴν ταύτῃ κ. τ. λ.*

αὐτὸς μὲν εἰς τὰς Συρακούσας ἐπανῆλθε τῇ καταστάσει

τῆς πολιτείας προσέξων κ. τ. λ. Nimis breviter tractantur a Plutarcho ea quae ad ordinandum novum statum reip. pertinent, quamquam in hac quoque re Timoleon multa effecisse videtur. Compluscula habet Diod. Cap. 70, § 5: εὐθὺς δὲ καὶ (post regia monumenta eversa) νομογραφεῖν ἤρξατο, τιθεὶς δημοκρατικοὺς νόμους, καὶ τὰ περὶ τῶν ἰδιωτικῶν συμβολαίων δίκαια καὶ τἄλλα πάντα ἀκριβῶς διέταξε, πλείστην φροντίδα τῆς ἰσότητος ποιούμενος Cum quibus componenda sunt quae idem tradit Cap. 82, § 6: „Timoleon statim eas leges, quae iam antea Syracusis vigebant quasque tulerat Diocles, corrigere et emendare coepit (de Diocle cf. Lib. XI, Cap. 22); quae de privatis syngraphis et de hereditatibus erant latae, intactas reliquit; contra quae rem publicam spectabant, de sua sententia, quemadmodum maxime in rem fore visum est, emendavit. Legibus emendandis praefuit Cephalus Corinthius, vir doctrina atque ingenio inclitus." Instituit etiam (Cap. 70, § 6) annuum magistratum ἐπώνυμον, *amphipoliam* Jovis Olympii; primus amphipolus fuit Callimenes. Usque ad Diodori tempora, per CCC annos, in summo honore fuit amphipolia; postremo civitate Romana cum Siculis communicata iacere coepit ille magistratus. Ciceronis aetate ut antea florebat; Verr. L. II, Cap. 51: „Syracusis lex est de religione, quae in annos singulos Iovis sacerdotem

sortito capi iubeat, quod apud illos amplissimum sacerdotium putatur; cum suffragiis tres ex tribus generibus creati sunt, res revocatur ad sortem."

τοὺς δὲ περὶ Δείναρχον καὶ Δημάρετον εἰς τὴν τῶν Καρχηδονίων ἔπεμψεν ἐπικράτειαν κτέ. Cf. Diod. Cap. 73, § 1: „Pecunia egens ad stipendium mercenariis persolvendum M milites cum peritissimis ducibus in Carthaginiensium provinciam misit. Illi multum agri depopulati opimam praedam ceperunt et Timoleonti tradiderunt. Qui praeda divendita ac magna pecunia ex ea redacta militibus longi temporis stipendium numeravit. Idem oppido Entella potitus, hominibus XV, qui maxime cum Poenis faciebant, interfectis reliquis libertatem concessit. Ita crescente in dies Timoleontis potentia et bellica laude Graecae urbes in insula Sicilia ad unam omnes libenter sese in illius fidem et tutelam permiserunt; etiam Sicularum Sicanarumque et reliquarum, quae sub Poenorum dicione essent, multae per legatos cum eo egerunt, ut in societatem asciscerentur."

CAP. XXV.

ἐν τούτῳ δὲ Καρχηδόνιοι καταπλέουσιν εἰς τὸ Λιλύβαιον κτέ.

Inveniuntur haec ap. Diodor. Cap. 73, § 3: Καρχηδόνιοι δὲ τοὺς κατὰ τὴν Σικελίαν στρατηγοὺς ὁρῶντες ἀγεννῶς τὸν πόλεμον διοικοῦντας ἔκριναν ἑτέρους ἀποστέλλειν μετὰ δυνάμεως μεγάλης. Pergit ita: „Itaque statim nobilissimorum civium et fortissimorum Afrorum delectu habito, praeterea magna pecunia collata Hispanos, Gallos, Ligures mercede conduxerunt; naves quoque longas fabricati multas onerarias coëmerunt et omnino ingentem belli apparatum comparaverunt." Infra Cap. 77, § 4 Diod. de Poenorum copiis circiter eadem refert quae Plut.: Totius exercitus summa cum iis copiis, quae iam antea in Sicilia erant, fuit peditum plus LXX milium; habebant equitum et curruum et bigarum non minus X milia, naves longas CC, onerarias plus M." Tradit Diod., de qua re silet Plutarchus, Timoleontem etiam tum in bello cum Hiceta occupatum pacem cum eo fecisse et militibus eius ad se receptis copiarum suarum numerum haud paulo auxisse. Tum Cap. 78: ἔδοξε δ'αὐτῷ τὸν πρὸς τοὺς Φοίνικας ἀγῶνα συστήσασθαι κατὰ τὴν τῶν Καρχηδονίων ἐπικράτειαν, ὅπως τὴν μὲν τῶν συμμάχων χώραν ἀσινῆ διαφυλάξῃ, τὴν δ' ὑπὸ τοὺς βαρβάρους οὖσαν καταφθείρῃ. Maiorem speciem veri habet id quod colligitur e narratione Plutarchi, Timoleontem non sua sponte, sed hostium incursione coactum in ea parte Siciliae, quae occasum

spectat, proelium commisisse, ut militibus suis, quos Dinarcho et Demareto ducibus in Carthaginiensium provinciam miserat, auxilium ferret. De numero militum Timoleontis non convenit inter Plutarchum et Diodorum, qui eum „non plures quam mille ducentos" habnisse ait. Longus est Diod. in describenda seditione, quae in Corinthiorum exercitu orta sit. Legimus apud eum, cum Corinthii in agrum Agrigentinum pervenissent, repentinam turbam et tumultum in exercitu esse coortum. Erat inter mercenarios Thrasius quidam, homo turbulentus, qui cum Phocensibus templum Delphicum diripuerat. Ille, qui inter paucos ad id usque tempus sacrilegii poenas divinas effugisset, seditiosa oratione mercenarios ad defectionem impellere coepit: Timoleontem male sanum milites suos ad manifestam perniciem ducere, qui Carthaginienses numero tanto superiores, omni apparatu belli instructissimos se victurum diceret, militum corpora in discrimen committens, cum propter inopiam ne stipendium quidem iamdudum militibus debitum persolvisset; converso itinere Syracusas reverterentur et stipendium reposcerent, neve ad desperatam expeditionem se duci paterentur. Mercenariis Thrasio libenter obtemperantibus et seditionem moventibus, Timoleon multis precibus pollicitationibusque vix tumultum sedavit. Nihilo secius Thrasium M milites

secuti sunt, quos puniendos in aliam occasionem sibi reservavit. Quin etiam literas Syracusas misit, petens ab amicis, ut qui ipsum deseruerant benevole exciperentur stipendiumque iis persolveretur. (Diod. Cap. 79, § 1).

πρὸς τὸν Κρίμησον ποταμόν. Diversa est forma huius nominis apud scriptores; Nepos Cap. II habet: „apud Crimissum flumen." Ap. Diod. in ipsa narratione pugnae fluminis nomen non apparet; at initio L. XIX, Cap. 2 in historia pueritiae Agathoclis leguntur verba: *καθ' ὃν δὴ χρόνον Τιμολέων μὲν ὁ Κορίνθιος νικήσας τὴν ἐπὶ τῷ Κριμισῷ μάχην τοὺς Καρχηδονίους μετέδωκε τῆς ἐν Συρακούσαις πολιτείας πᾶσι τοῖς βουλομένοις.* Vergil. Aen. V, 38: „Troïa *Criniso* conceptum flumine mater quem genuit." Suidas ed. Gaisf. in v.: Κριμισός: Ὄνομα ποταμοῦ; annotat editor, unum cod. habere Κριμνισός, quod vitium scribae esse puto, alterum Κριμησός. Videtur optio esse facienda inter formas Κριμησός et Κριμισός, quarum fortasse haec fuerit genuina, a librariis saepius in Κριμησός, Κρινισός, Κρινισσός depravata.

CAP. XXVI.

ἐμβάλλουσιν ἡμίονοι σέλινα κομίζοντες. De omine ex

apio cf. Plut. Convivalium L. V, Cap. 3, 2, ubi Timaeus narratiunculae auctor esse dicitur. (De absurda oratione, qua Timoleon eodem Timaeo auctore ante pugnam usus esse dicebatur ad milites cohortandos, quamque Polybius Timaei mendacia arguens inter μειρακιώδεις καὶ διατριβικοὺς λόγους numerat, v. Polybii fragmenta L. XII, Cap. 26 a. ed. Dind.) Narratiuncula pervulgata est apud scriptores; legitur quoque ap. Diod. Cap. 79, § 3 et ap. Polyaenum Strateg. L. V, Cap. 12, ab utroque sine dubio e Timaeo petita.

παροιμία τις ἐκ τούτου γέγονε, τὸν ἐπισφαλῶς νοσοῦντα, δεῖσθαι τούτου τοῦ σελίνου. Ita Sintenisius in maiore editione, ubi annotat: „τούτου τοῦ om. C. (cod. Paris. I673) ac sane τούτου quidem malim abesse." Sed in recentiore edit. τούτου τοῦ uncinis inclusit idem. Si apium res solita et quotidiana est in funeribus celebrandis, ego quidem exspectem: τὸν ἐ. ν. δεῖσθαι τοῦ σελίνου; τούτου certe satis molestum videtur. Locus in Moralibus ed. Dübn. haec habet: ὅτι δοκεῖ τὸ σέλινον ἐπικήδειον εἶναι καὶ τοὺς ἐπισφαλῶς νοσοῦντας δεῖσθαι τοῦ σελίνου φαμέν, quo duce articulum hoc quoque loco retinendum esse arbitror.

ὁ δὲ ἵπτατο κεκλαγὼς μέγα καὶ θαρραλέον. Video in Sinte-

nisi apparatu, cod. Palat. dare εἵπετο κεκραγώς; prius vocabulum non absurdum videtur, sed facile fieri potuit ut Plut. ex aequalium prava consuetudine scripserit ἵπτατο pro ἐπέτετο; de vitiosa forma ἵπταμαι cf. V. Cl. Cobetum in V. L., pag. 306. Sed de sonitu et clangore, quem aves reddunt, proprie usurpatur perfectum κέκλαγγα (non κέκλαγα), ap. Homerum κλάζω, ἔκλαγξα et perf. κέκληγα, quae saepe occurrunt, cum substantivo κλαγγή (veluti Iliadis libro primo, de arcu et sagittis Apollinis). Cf. e. g. locum M 207, item de aquila serpentem unguibus ferente:

αὐτὸς δὲ κ λ ά γ ξ α ς φέρετο πνοιῆς ἀνέμοιο.

Π 428: οἱ δ', ὥστ' αἰγυπιοὶ γαμψώνυχες, ἀγκυλοχεῖλαι,
πέτρῃ ἐφ' ὑψηλῇ μεγάλα κ λ ά ζ ο ν τ ε μάχωνται,
ὣς οἳ κ ε κ λ ή γ ο ν τ ε ς (Bekk. -γῶτες) ἐπ' ἀλλήλοισιν ὄρουσαν.

λ 605: ἀμφὶ δέ μιν κ λ α γ γ ὴ νεκύων ἦν οἰωνῶν ὥς.

Γ 3: ἠΰτε περ κ λ α γ γ ὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρό.

Atticum κέκλαγγα legitur duobus locis in Xenophontis Cynegetico (III, 9 et VI, 23) et ap. Aristoph. Vesp. vs. 929, coniunctum cum fut. perf. κεκλάγξομαι:

ἵνα μὴ κ ε κ λ ά γ γ ω (Dind. κεκλάγχω) διὰ κενῆς ἄλλως ἐγώ.
ἐὰν δὲ μή, τὸ λοιπὸν οὐ κ ε κ λ ά γ ξ ο μ α ι.

Certum est, *κεκλαγώς* ap. Plut. vitiosum esse pro *κεκλαγγώς*, quod ipsum scripsisse opinor.

CAP. XXVII.

τὸ μὲν οὖν ἔτος ἱσταμένου θέρους εἶχεν ὥραν, καὶ λήγοντι μηνὶ Θαργηλιῶνι πρὸς τὰς τροπὰς ἤδη συνῆπτε τὸν καιρόν. Diodoro auctore proelium ad Crimisum factum est a. Ol. CX, 1; ergo quia solstitium aestivum appropinquabat, anno a. C. 339. Casu accidit, ut ipse Plut. alio loco de ipso celeberrimae victoriae die traderet; qui in vita Camilli Cap. XIX enarrata pugna Alliensi claras victorias diesque, quibus reportatae sint, enumerans ita loquitur: *καὶ Καρχηδόνιοι περὶ Σικελίαν ὑπὸ Τιμολέοντος ἡττῶντο τῇ ἑβδόμῃ φθίνοντος — Θαργηλιῶνος* (ergo die 24 mensis Thargelionis, circa diem 9. vel 10. mensis Iunii), eodem die, quo Troiam captam esse putabant; auctorem nominat Ephorum. Aliam notitiam affert Nepos in Vita Cap. V: „proelia maxima natali suo die fecit omnia. Quo factum est, ut eius diem natalem festum haberet universa Sicilia." Quae si vera, statuere licet diem 24 mensis Thargelionis, quo pugna ad Crimisum commissa est, Timoleontis natalem fuisse.

αὐτὸς δὲ καταβὰς εἰς τὸ πεδίον κτέ. Cf. Diod. Cap. 79, § 5: *ὁ μὲν γὰρ Τιμολέων ἐκτάξας τὴν δύναμιν κατέβαινεν ἀπό τινων λόφων ἐπὶ τὸν ποταμόν, καὶ μυρίων ἤδη διαβεβηκότων ἐξ ἐφόδου τούτοις ἐπέρραξε, τεταγμένος αὐτὸς ἐπὶ μέσης τῆς φάλαγγος.*

CAP. XXVIII.

ἐξαίφνης ἀπὸ τῶν ὀρῶν βρονταί τε φοβεραὶ κατερρήγνυντο κ. τ. λ. Diodor. Cap. 79, § 6 hunc in modum narrat: „Acriter pugnatum est, et cum Graeci et virtute et usu belli superiores essent, magna caedes barbarorum est facta. Iam fugientibus iis, qui primo flumen transierant, tota Poenorum acies flumine traiecto laborantibus suis auxilio venit." Tum Cap. 80: „Proelio redintegrato, et hostibus numero Graecos circumvenientibus, repente imbres cum grandine et tonitrubus fulminibusque ceciderunt," et reliqua ut ap. Plut.

πολλοὺς δὲ ὁ ποταμὸς τοῖς ἔτι περαιουμένοις συμπίπτοντας ἐμβάλλων καὶ παραφέρων ἀπώλλυε, ubi sine mora rescribendum *ἀπώλλυ*, solita correctione adhibita. Cf. Diod. Cap. 80, § 2: Nonnulli *ὑπὸ τῶν παρὰ τοῖς πολεμίοις ἱππέων εἰς τὸ τοῦ ποταμοῦ ῥεῖθρον ἀγεληδὸν συνελαυνόμενοι καὶ*

κατὰ νώτου τὰς πληγὰς λαμβάνοντες ἀπέθνησκον, et § 3: *λάβρων γεγενημένων τῶν ὄμβρων ὁ ποταμὸς βιαιοτέρῳ τῷ ῥεύματι καταφερόμενος πολλοὺς ἐβάπτιζε καὶ μετὰ τῶν ὅπλων διανηχομένους διέφθειρε.*

λέγονται γοῦν ἐν μυρίοις νεκροῖς τρισχίλιοι Καρχηδονίων γενέσθαι. Fuerunt inter hos duo milia et quingenti, qui sacram cohortem, quae vocabatur, efficiebant. Diod. Cap. 80, § 4 s: *τέλος δὲ τῶν Καρχηδονίων οἱ μὲν τὸν ἱερὸν λόχον ἀναπληροῦντες, καὶ τὸν μὲν ἀριθμὸν ὄντες δισχίλιοι καὶ πεντακόσιοι, ταῖς δ' ἀρεταῖς καὶ δόξαις, ἔτι δὲ ταῖς οὐσίαις, πρωτεύοντες, ἅπαντες ἀγωνισάμενοι λαμπρῶς κατεκόπησαν. τῶν δ' ἄλλων τῶν συστρατευομένων αὐτοῖς ἀπέθανον πλείους τῶν μυρίων.*

CAP. XXIX.

οὕτως ἄφθονος μὲν ἦν ἄργυρος, ἄφθονος δὲ χρυσός. Diodor. Cap. 81 init. narrat, Poenos magnam vim poculorum ex argento et auro in castris habuisse, quae omnia cum reliquis pretiosis rebus, quas opulenti Carthaginienses secum attulerant, Corinthiorum dux praemiorum nomine militibus suis concèsserit.

τῶν δ' αἰχμαλώτων οἱ μὲν πολλοὶ διεκλάπησαν ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν, εἰς δὲ κοινὸν ἀπεδείχθησαν πεντακισχίλιοι τὸ πλῆθος. Diod. l.l. totam summam captivorum XV milium fuisse dicit; X milia igitur a militibus interversa sunt. Idem factum est post illam cladem Atheniensium in expeditione Siciliensi, de qua re cf. vitam Niciae Cap. XXVII.

ἡ Τιμολέοντος — σκηνὴ περισωρευθεῖσα παντοδαποῖς λαφύροις. V. eadem ap. Diod.; ait autem Cap. 80, § 6: „Armorum magna parte flumine corrupta ad praetorium M loricae et plus X milibus clypeorum allata sunt. Quae deinde partim in Syracusanorum templis diis dicata, partim inter socios divisa sunt, nonnulla Timoleon Corinthum misit."

βαρβαρικὰ σκῦλα καλλίσταις ἐπιγραφαῖς δηλοῦντα — ὅτι Κορίνθιοι — χαριστήρια θεοῖς ἀνέθηκαν. In fine intercidisse videtur pronomen τάδε, quod in donariorum inscriptionibus solitum est et necessarium. Apparet v. c. infra Cap. XXXI: τ ά σ δ' ὀστρειογραφεῖς καὶ χρυσελεφαντηλέκτρους ἀσπίδας ἀσπιδίοις εἵλομεν εὐτελέσ ι.

Thuc L. I, Cap. 132:

Ἑλλήνων ἀρχηγὸς ἐπεὶ στρατὸν ὤλεσε Μήδων,
Παυσανίας Φοίβῳ μνῆμ' ἀνέθηκε τ ό δ ε.

Plut. Aristid. Cap. XIX:

τόνδε ποθ' Ἕλληνες νίκας κράτει, ἔργῳ Ἄρηος,
Πέρσας ἐξελάσαντες ἐλευθέρᾳ Ἑλλάδι κοινὸν
ἱδρύσαντο Διὸς βωμὸν ἐλευθερίου.

Cf. Thuc. VI, 54 et passim.

Quibus exemplis adductus hic quoque legendum puto: χαριστήρια θεοῖς ἀνέθηκαν τάδε.

CAP. XXX.

τοὺς χιλίους μισθοφόρους ἐκείνους κ. τ. λ. Cf. Diod. Cap. 82, qui haec refert ad Ol. CX, 2, a. C. 339. Ait mercenarios in Bruttiorum regione oppidum maritimum vi captum diripuisse. Quo facto Bruttii numero valentes oppidum expugnaverunt atque omnes iaculis occiderunt. Addit Diod., quae res non commemoratur a nostro, Postumium, praedonem Etruscum, cum XII myoparones suos nihil metuens Syracusas appulisset, Timoleontis iussu prehensum et morte multatum esse.

ἔπλευσε Γέσκων κ. τ. λ. Illustremus haec e Diod. Cap. 81, § 2 ss. „Carthaginiensium superstites," ait, „tantus terror ac trepidatio tenebat ut, cum vix et aegre Lilybaeum perfugissent, ne naves quidem conscendere atque in patriam redire auderent, metuentes, ne ob iram divi-

nam mari Africo mergerentur. Item nuncio cladis Carthaginem perlato desperatio omnium animis incessit, ita ut Timoleontem statim cum exercitu traiecturum et ipsam urbem aggressurum putarent. Statim Gisgoni, Hannonis filio, ab exilio revocato summam belli detulerunt, quod virtute et rei militaris scientia omnibus praestare videbatur. Ipsi civium suorum corporibus parcere et mercenarios alienigenas, imprimis Graecos, conducere statuerunt; sperabant fore ut multi propter magnum stipendium et divitias Carthaginis nomina darent. Nihilo secius legatos idoneos in Siciliam transmiserunt, qui quibus legibus liceret pacem componerent."

CAP. XXXII.

Κορίνθιαι γυναῖκες ἐξῆλθον δόμων. Convicium in Corinthios iactum est parodia petita ex Euripidis Medea vs. 216, ubi Medea foras egressa chorum alloquitur, vocativo in nominativum, 1[a] pers. singularis formae in tertiam plur. mutatis. Vel hoc sit argumento, quanto studio Sicilienses Graeci poësin Euripideam amplecterentur, quod etiam aliunde constat et pervulgatum est; cf. vitam Niciae Cap. XXIX. *Μάλιστα γάρ, ὡς ἔοικε,* ait Plut., *τῶν ἐκτὸς Ἑλλήνων ἐπόθησαν αὐτοῦ τὴν μοῦσαν οἱ περὶ*

Σικελίαν, et v. in reliquis, quomodo miseri Athenienses versibus et canticis Euripideis recitandis aut libertatem aut victum sibi paraverint.

CAP. XXXIII.

καὶ δοκεῖ τοῦτο τῶν Τιμολέοντος ἔργων ἀχαριστότατον γενέσθαι. Nulla causa excogitari potest, cur Timoleon in Hicetam eiusque domum animo grato esse debuerit; collatis iis, quae V. Cl. Cobetus docuit N. L. pag. 585, non dubito quin cum cod. Palat. scribendum sit ἀχαριτώτατον, parum venustum et elegans (a forma ἄχαρις): unum ex paucissimis Timoleontis facinoribus, in quae non quadret illa χάρις θεοφιλὴς καὶ πρέπουσα, quam eius rebus gestis tribuit Plut. Cap. XXXV extr. et Cap. III (τοσαύτη — καὶ ταῖς ἄλλαις πράξεσιν ἐπηκολούθησε χάρις ἐπικοσμοῦσα τὴν ἀρετὴν τοῦ ἀνδρός).

περὶ ὧν ἐν τῷ Δίωνος γέγραπται βίῳ. Cf. vitae Dionis caput ultimum et ea, quae supra annotavimus ad Cap. XIII. — De Hicetae propinquis silet Diod., qui ipsius tyranni exitu breviter narrato (Cap. 82, 4: μετὰ δὲ ταῦτα τὸν μὲν Ἱκέταν καταπολεμήσας ἔθαψε, quod nescio an corruptum sit) addit, Timoleontem Campanos, qui Aetnam tenebant a maiore Dionysio sedem acceptam

(Diod. L. XIV, Cap. 58) urbe eorum capta funditus exstirpasse, tum tyrannos Nicodemum Centuripa, Apolloniadem Agyrio expulisse.

CAP. XXXIV.

ἐκ δὲ τούτου Καρχηδόνιοι μὲν εἰρήνην ἐποιήσαντο πρὸς αὐτὸν δεηθέντες, ὥστε τὴν ἐντὸς τοῦ Λύκου χώραν ἔχειν κ. τ. λ. Diodor. (qui haec refert ad a. Ol. CX, 2, a. C. 339): *μετὰ δὲ ταῦτα τῶν Καρχηδονίων διαπρεσβευσαμένων καὶ πολλὰ δεηθέντων συνεχώρησεν αὐτοῖς τὴν εἰρήνην, ὥστε τὰς μὲν Ἑλληνίδας πόλεις ἁπάσας ἐλευθέρας εἶναι, τὸν δὲ Ἅλυκον καλούμενον ποταμὸν ὅριον εἶναι τῆς ἑκατέρων ἐπικρατείας. μὴ ἐξεῖναι δὲ Καρχηδονίοις βοηθῆσαι τοῖς τυράννοις πολεμοῦσι πρὸς Συρακοσίους.* Parum diligenter Nepos in fine Cap. II Poenorum calamitatem rhetorice amplificans: „(Carthaginienses) satis habere coëgit, si liceret Africam obtinere, qui iam complures annos possessionem Siciliae tenebant." Quod ad nomen fluminis attinet, qui finis utriusque imperii futurus esset, si plerorumque sententiam sequi licet, quos formam *Ἅλυκος* praeferre video (quamquam Strabo plures Lycos nominat, non tamen in Sicilia), facile est explicare, quomodo ap. Plut. forma ΑΛΥΚΟϹ in ΛΥΚΟϹ depravata sit.

ὁ δὲ Μάμερκος ἑαυτὸν Τιμολέοντι παρέδωκεν κ. τ. ἑ. Mamerci tyranni fatum legitur etiam apud Polyaenum, in capite de Timoleonte (Strateg. Lib. V, Cap. 12, 2); addit Polyaenus: Timoleon se tyrannum accusaturum non esse iuravit. Hac condicione Mamercus Syracusas venit. Qui cum in concionem introductus esset, Timoleon ita dixit: „Minime hunc accusabo, hoc enim pepigi cum eo; sed censco eum primo quoque tempore morte esse multandum. Eum enim, qui multos deceperit, tandem et ipsum decipi par est." Cf. Nepotem in fine Cap. II: „Cepit etiam Mamercum, Italicum ducem, hominem bellicosum et potentem, qui tyrannos adiutum in Siciliam venerat."

CAP. XXXV.

καὶ γὰρ Ἀκράγαντα καὶ Γέλαν, πόλεις μεγάλας μετὰ τὸν Ἀττικὸν πόλεμον ὑπὸ Καρχηδονίων ἀναστάτους γεγενημένας, τότε κατῴκισαν. Ultimum vocabulum est emendatio Reiskii in annot. scribentis: „*κατῴκισαν* (a *κατοικίζειν*) de meo dedi, pro vulgari *κατῴκησαν*, a *κατοικεῖν*." Nondum satis placet *κατῴκισαν*. Dicit Plut. urbes a Poenis solo aequatas Timoleontis aetate restitutas esse et instauratas; cum autem *ἀνάστατον ποιεῖν* significet *solo*

aequare, *diruere*, contrarium est ἀνοικίζειν. Cf. Diod. Cap. 65, 9: (Τιμολέων) τὰς κατεσκαμμένας ὑπὸ τῶν βαρβάρων Ἑλληνίδας πόλεις ἀποκατέστησε, quod est idem atque ἀνῴκισε. Haud ab re sit Nepotem quoque conferre in Vita Cap. 3, § 2: „urbium moenia disiecta fanaque deserta *refecit*." Idem verbum legitur in vita Luculli Cap. XXIX circa med. (sermo est de urbe Tigranocertis a Lucullo capta): ὥστε συνέβη μιᾶς πόλεως διαλυθείσης πολλὰς ἀνοικίζεσθαι πάλιν κομιζομένας τοὺς αὐτῶν οἰκήτορας. — cf. infra quae annotabimus ad Cap. XXXIX.

ὥσπερ οἰκιστὴς ἠγαπᾶτο. Pergit Nepos loco proxime laudato: „Civitatibus leges libertatemque reddidit. Ex maximo bello tantum otium tota insula conciliavit, ut hic conditor urbium earum, non illi qui initio deduxerant, videretur."

CAP. XXXVI.

τῶν δὲ Τιμολέοντος ἔργων — οὐδέν ἐστιν, ᾧ μὴ τὰ τοῦ Σοφοκλέους, ὥς φησι Τίμαιος, ἐπιφωνεῖν ἔπρεπεν κ. τ. λ. Haud puto huiusque nomen fabulae, unde hoc fragmentum petitum est, repertum esse. Hinc quoque apparet, quantum Timaeus in Timoleonte a consuetudine sua maledicendi recesserit, qui tam eximiis laudibus extulerit Sici-

liae liberatorem, de qua re cf. quae annotavimus ad Cap. X.

ἡ μὲν Ἀντιμάχου ποίησις καὶ τὰ Διονυσίου ζωγραφήματα, τῶν Κολοφωνίων. „Clarium poetam" Cicero appellat Antimachum, oppidulo Claro prope Colophonem (Strab. pag. 642) natum. Diodorus (L. XIII, Cap. 108) Apollodorum Atheniensem secutus hunc poetam Artaxerxis, Darii filii, aetate floruisse dicit. Eum aequalem Platonis fuisse novimus e narratiuncula Ciceronis in Bruto § 191; magnum illud volumen, quod Antimachus convocatis auditoribus legebat, fuit poema epicum ἡ Θηβαΐς, ex quo compluscula nobis servavit fragmenta Athenaeus, qui (L. XIII, pag. 597 s.) eiusdem elegiam τὴν Λυδήν, in puellae honorem vita defunctae compositam, praeterea (L. VII, pag. 300) poema τὰς Δελτούς commemorat. Vide de eodem iudicium ap. Quintilianum (L. X, 1, 53), qui, quamvis Antimacho secundas in poesi epica fere grammaticorum consensus deferat, plura tamen in eo reprehendit. — Civem eius Dionysium pictorem commemorant Aristoteles (περὶ ποιητικῆς Cap. 2), Aelianus (V. H., L. IV, Cap. 3), qui eum Polygnoti artem diligenter imitando expressisse ait, Plinius (H. N., L. XXXV, Cap. 10), qui cognomen eius „Anthropographum" lau-

dat. — Nicomachus, cui statim infra summas laudes tribuit Plut., pictor Alexandri aequalis, notus est ex Ciceronis Bruto § 70, ubi coniungitur cum Apelle duobusque aliis, in quibus iam perfecta essent omnia. Velocitatem in arte pingendi ei tribuit Plinius l.l.

πολλάκις ἔφη τῷ θεῷ χάριν ἔχειν, ὅτι βουλόμενος σῶσαι Σικελίαν ἐπεγράψατο τὴν αὐτοῦ προσηγορίαν. Idem paulo aliis verbis complectitur Nepos Cap. IV, § 3: „se in ea re maxime diis agere gratias atque habere, quod, cum Siciliam recreare constituissent, tum se potissimum ducem esse voluissent. Nihil enim rerum humanarum sine deorum numine geri putabat."

ἐπὶ δὲ τῆς οἰκίας ἱερὸν ἱδρυσάμενος Αὐτοματίας ἔθυεν, αὐτὴν δὲ τὴν οἰκίαν ἱερῷ δαίμονι καθιέρωσεν. Duobus aliis locis inveniuntur haec ap. Plut., Reip. ger. praec. Cap. XX, 7: *Τιμολέων, ὁ τὰς ἐν Σικελίᾳ καταλύσας τυραννίδας, Αὐτοματίας ἱερὸν ἱδρύσατο*, et De se ips. citr. inv. laud. Cap. XI: *καλῶς δὲ Τιμολέων, ἐν Συρακούσαις Αὐτοματίας βωμὸν ἱδρυσάμενος ἐπὶ ταῖς πράξεσι, καὶ τὴν οἰκίαν Ἀγαθῷ δαίμονι καθιερώσας.* Nepos Cap. IV extr: „Itaque suae domi sacellum Automatias constituerat idque sanctissime colebat." Fortasse haec dea *Αὐτοματία* aliquid commune

habuerit cum ea quam Ἀγαθὴν Τύχην appellabant; *) occurrit ap. Aelian. V. H., L. IX, Cap. 39.

CAP. XXXVII.

ἐπεὶ δὲ χρῆν — πᾶσι κορυδαλλοῖς λόφον ἐγγίγνεσθαι, κατὰ Σιμωνίδην. Proverbium Simonideum ap. Plut. recurrit in libro De inimic. util., p. 91 E, et Reip. ger. praec., p. 809 B. — *ὧν Λαφυστίου μὲν αὐτὸν πρός τινα δίκην κατεγγυῶντος κ. τ. λ.* Cf. Nep. Cap. V, § 2: „Huic quidam Laphystius, homo petulans et ingratus, vadimonium cum vellet imponere, quod cum illo se lege agere diceret, et complures concurrissent qui procacitatem hominis manibus coercere conarentur, Timoleon oravit omnes, ne id facerent: namque id ut Laphystio et cuivis liceret, se maximos labores summaque adiisse pericula. Hanc enim speciem libertatis esse, si omnibus, quod quisque vellet, legibus experiri liceret." — *τοῦ δὲ Δημαινέτου πολλὰ κατηγορήσαντος ἐν ἐκκλησίᾳ τῆς στρατηγίας κ. τ. λ.* Nep. l.l. § 3: „Idem, cum quidam Laphystii similis, nomine Demaenetus, in concione populi de rebus gestis eius detrahere coepisset ac nonnulla inveheretur

*) Cf. Grote, Hist. of Greece XI, pag. 269.

in Timoleonta, dixit nunc demum se voti esse damnatum: namque hoc a diis immortalibus semper precatum, ut talem libertatem restitueret Syracusanis, in qua cuivis liceret, de quo vellet, impune dicere."

Quid opus est, si haec omnia easdem res iisdem fere verbis vestitas lectoribus proponentia inter se comparaveris, multis demonstrare in hac saltem parte vitae et Latinum et Graecum scriptorem ex communi fonte, Timaeo ut videtur, diligenter et sedulo hausisse?

ἤδη πρεσβύτερος ὢν ἀπημβλύνθη τὴν ὄψιν κ. τ. λ. Nep. Cap. IV init.: „Hic cum aetate iam provectus esset, sine ullo morbo lumina oculorum amisit." — ὡς δ' ἐπανῆλθεν εἰς Συρακούσας εὐθὺς ἀποθέσθαι τὴν μοναρχίαν κτἑ. Nep. Cap. III, § 4: „Cum tantis esset opibus, ut etiam invitis imperare posset, tantum autum amorem haberet omnium Siculorum, ut nullo recusante regnum obtinere, maluit se diligi quam metui. Itaque cum primum potuit imperium deposuit, ac privatus Syracusis quod reliquum vitae fuit vixit" e. q. s.

CAP. XXXVIII.

ἐκεῖνον μὲν οὖν αὐτὸν ὑπομείναντα τὴν συμφορὰν ἀλύπως

ἧττον ἄν τις θαυμάσειε. Cf. Nep. Cap. IV, § 1: „Quam calamitatem ita moderate tulit, ut neque eum querentem quisquam audierit neque eo minus privatis publicisque rebus interfuerit." — ἀγαλλόμενοι καὶ μέγα φρονοῦντες, ὅτι παρ' αὐτοῖς εἵλετο καταζῆσαι τὸν βίον. Magis Ἀττικῶς Plato in Protagora Cap. XXXVI, pag. 355 A: καταβιῶναι τὸν βίον ἄνευ λυπῶν, quae est sola genuina forma aoristi, de qua re cf. V. Cl. Cobetum in Epimetro Var. Lect., Cap. VII, pag. 610. Alia forma, sed haud melioris notae, utitur Plut. in extremo Cap. XXIV vitae Demosth.: (Aeschines) περὶ Ῥόδον καὶ Ἰωνίαν σοφιστεύων κατεβίωσε, qui aor. frequentissimus est apud sequiores, ut apud Diod. XVI, 70 de Dionysio: κατεβίωσεν ἀπορούμενος ἐν Κορίνθῳ.

τὰ γὰρ ἄλλα δι' αὑτῶν κρίνοντες ἐπὶ τὰς μείζονας διασκέψεις ἐκεῖνον ἐκάλουν. Fide digniora sunt haec quam quae dat Nepos Cap. III, § 5: „Nullus honos huic defuit, neque postea res ulla Syracusis gesta est publice, de qua prius sit decretum, quam Timoleontis sententia cognita." Sic valde negotiosus fuisset Timoleon et senex et mox oculis captus; potius credimus Plutarcho, Syracusanos de gravioribus tantum rebus ad illum rettulisse, ceteras suo Marte administrasse. — ὁ δὲ κομιζόμενος δι'

ἀγορᾶς ἐπὶ ζεύγους πρὸς τὸ θέατρον ἐπορεύετο κτἑ. Nep. Cap. IV, § 2: „Veniebat autem in theatrum, cum ibi concilium populi haberetur, propter valetudinem vectus iumentis iunctis, atque ita de vehiculo quae videbantur dicebat."

CAP. XXXIX.

Describit Plutarchus edictum Syracusanorum in Timoleontis exsequiis voce praeconis pronunciatum. Apud Diod. L. XVI, Cap. 90 iisdem fere verbis expressum legitur totum edictum, nisi quod apud eum, ut supra vidimus, pater Timoleontis Τιμαίνετος audit, non Τιμόδημος. In nostro capite edictum finitur his verbis: ὅτι τοὺς τυράννους καταλύσας καὶ τοὺς βαρβάρους καταπολεμήσας καὶ τὰς μεγίστας τῶν αναστάτων πόλεων οἰκίσας ἀπέδωκε τοὺς νόμους τοῖς Σικελιώταις. Sed Diod. habet: καὶ τὰς μεγίστας τῶν Ἑλληνίδων πόλεων ἀνοικίσας, quod verbum haud paulo melius sententiae convenire mihi videtur quam quod pro Plutarcheo datur οἰκίζειν. Non enim primum *condidit* Timoleon urbes in insula Sicilia, sed perpetuis bellis dirutas et solo aequatas *restituit* et *instauravit*. Cf. supra annotata ad Cap. XXXV, ubi pro κατῴκισαν rescripsimus ἀνῴκισαν, plane eodem sensu et de

eadem re dictum. Hoc loco *ἀνοικίσας* emendandum esse pro *ο'κίσας*, equidem persuasum habebam, cum V. Cl. Cobetum opem mihi ferre vidi simili ratione in vita Periclis Cap. XI scribentem *ἀνοικιζομένης Συβάριος* pro *οἰκιζομένης Συβάρεως*) v. Mnemos. anni 1873, pag. 334).

γυμνάσιον τοῖς νέοις ἀνῆκαν καὶ Τιμολεόντειον πρσσηγόρευσαν, more aetatis Plutarcheae pro *προσεῖπον*. Cf. Nepotem in fine Vitae: „Hic cum diem supremum obisset, publice a Syracusanis in gymnasio, quod Timoleonteum appellatur, tota celebrante Sicilia sepultus est." — Eiusdem gymnasii mentio fit ap. Polyaenum Strat. V, 3, 8 in capite de Agathocle: *αὔριόν γε συνελθόντες εἰς τὸ Τιμολεόντιον* (sic Coraes in sua editione, pro quo restituendum *-ειον* e constanti analogia, quae cernitur in *Μουσεῖον*, *'Ηρακλεῖον*, *Θησεῖον*, *'Ολυμπίειον* et sim.), et paulo infra: *ἐπεὶ δὲ τῆς ὑστεραίας* (an leg. *τῇ ὑστεραίᾳ*?) *εἰς τὸ Τιμολεόντειον συνῆλθον κτέ.* — Diodorus quoque, etsi de Timoleonteo condito verbum nullum facit, in historia Agathoclis de eo gymnasio loquitur tanquam de noto loco, L. XIX, Cap. 6: *ὡς δ' αὐτῷ πάντ' ἦν εὐτρεπῆ, τοῖς μὲν στρατιώταις παρήγγειλεν ἀπαντᾶν ἅμ' ἡμέρᾳ εἰς τὸ Τιμολεόντειον.*

THESES.

I.

Herod. I, 60. *ταύτην τὴν γυναῖκα σκευάσαντες πανοπλίῃ, ἐς ἅρμα ἐσβιβάσαντες καὶ προδέξαντες σχῆμα, οἷόν τι ἔμελλε εὐπρεπέστατον φανέεσθαι ἔχουσα, ἤλαυνον ἐς τὸ ἄστυ.*

Lege *εὐπρεπεστάτη*.

II.

Herod. I, 72. *Οἱ δὲ Καππαδόκαι ὑπὸ Ἑλλήνων Σύριοι οὐνομάζονται· ἦσαν δὲ οἱ Σύριοι οὗτοι τὸ μὲν πρότερον ἢ Πέρσας ἄρξαι Μήδων κατήκοοι, τότε δὲ Κύρου.*

Dele *ἢ Πέρσας ἄρξαι*.

III.

Herod. I, 116. *καὶ οἱ ὅ τε χαρακτὴρ τοῦ προσώπου προσφέρεσθαι ἐδόκεε ἐς ἑωυτὸν καὶ ἡ ὑπόκρισις ἐλευθεριωτέρη εἶναι, ὅ τε χρόνος τῆς ἐκθέσιος τῇ ἡλικίῃ τοῦ παιδὸς ἐδόκεε συμβαίνειν.*

Dele alterum *ἐδόκεε.*

IV.

Thuc. II, 29. *εἰκὸς δὲ καὶ τὸ κῆδος Πανδίονα ξυνάψασθαι τῆς θυγατρὸς διὰ τοσούτου ἐπ' ὠφελίᾳ τῇ πρὸς ἀλλήλους κτέ.*

Dele *τῆς θυγατρός.*

V.

Thuc. II, 44. *τὸ δ' εὐτυχές, οἳ ἂν τῆς εὐπρεπεστάτης λάχωσιν, [ὥσπερ οἵδε μὲν νῦν,] τελευτῆς, ὑμεῖς δὲ λύπης κτέ.*

Delenda quae uncinis inclusimus.

VI.

Thuc. III, 88. *τὰς δ' ἄλλας* (sc. *νήσους*) *ἐκ ταύτης ὁρμώμενοι γεωργοῦσι, Διδύμην καὶ Στρογγύλην καὶ Ἱεράν. νομίζουσι δ' οἱ ἐκείνῃ ἄνθρωποι ἐν τῇ Ἱερᾷ ὡς ὁ Ἥφαιστος χαλκεύει, ὅτι κ. τ. λ.*

Dele *ἐν τῇ Ἱερᾷ.*

VII.

Thuc. V, 84. *καὶ ἐπὶ Μῆλον τὴν νῆσον Ἀθηναῖοι ἐστράτευσαν ναυσὶν ἑαυτῶν μὲν τριάκοντα, Χίαις δὲ ἕξ, Λεσβίαις δὲ δυοῖν.*

Dele glossema *τὴν νῆσον.*

VIII.

Soph. Philoct. 348 s.

οὐ πολὺν

Χρόνον μ' ἐπέσχον μή με ναυστολεῖν ταχύ

Lege *μὴ οὔ με.*

IX.

Plut. Aemil. Paul. Cap. XVI. *Ὁ δὲ συνταραχθεὶς τὸ μὲν στρατόπεδον οὐκ ἐκίνησε, μυρίους δὲ μισθοφόρους ξένους καὶ δισχιλίους Μακεδόνας Μίλωνι παραδοὺς ἐξαπέστειλε.*

Dele *ξένους.*

X.

Plut. Alcib. Cap. II. „*Αὐλείτωσαν* (l. *αὐλούντων*) *οὖν,*" *ἔφη,* „*Θηβαίων παῖδες· οὐ γὰρ ἴσασι διαλέγεσθαι· ἡμῖν δὲ τοῖς Ἀθηναίοις, ὡς οἱ πατέρες λέγουσιν, ἀρχηγέτις Ἀθηνᾶ καὶ πατρῷος Ἀπόλλων ἐστίν.*

Dele *τοῖς Ἀθηναίοις.*

XI.

Ibid. Cap. XVII. (Metonem) καταπρῆσαι — τὴν οἰκίαν νύκτωρ, εἶθ' ἕωθεν προελθόντα δεῖσθαι καὶ ἀντιβολεῖν ἐπὶ συμφορᾷ τηλικαύτῃ τὸν υἱὸν αὐτῷ παρεθῆναι τῆς στρατείας.

Pro προελθόντα legendum παρελθόντα.

XII.

Plut. Cim. Cap. XIII: Πραθέντων δὲ τῶν αἰχμαλώτων λαφύρων εἴς τε τὰ ἄλλα (l. τἆλλα) χρήμασιν ὁ δῆμος ἐρρώσθη κ. τ. ἑ.

Dele αἰχμαλώτων.

XIII.

Liv. XXI, 11, 1. Weissenborn: Interim animos eorum nunc *ira* in hostis stimulando, nunc spe praemiorum accendit.

Repone *iram*.

XIV.

Liv. XXI, 19, 9: Quae verecundia est, Romani, postulare vos, uti vestram Carthaginiensium amicitiae

praeponamus, cum qui id fecerunt Saguntini crudelius, quam Poenus hostis perdidit, vos socii prodideritis?

Dele *Saguntini.*

XV.

Cic. Verr. IV, 12, 29: istius tantam fuisse sagacitatem, ut eas (sc phaleras) per illum ipsum inspiceres, ubi erant depositae.

Lege *inspiceret.*

XVI.

Caes. B. G. I, 20: Dumnorigem ad se vocat, fratrem adhibet .... praeterita se Divitiaco fratri condonare dicit.

Expunge *Divitiaco.*

XVII.

Ibid. Cap. 39: Saepenumero sese cum his congressos ne vultum quidem atque aciem oculorum dicebant ferre potuisse.

Expunge *dicebant.*

XVIII.

Curt. V, 2, 19: admonerique iussit, ut si cordi ei quoque vestis esset, conficere eam neptes suas assuefaceret; donoque doceret dare.

Probanda coniectura Mützellii: *donoque, quae docerent, dare*, si praeterea pro *dare* scripseris: *addere*.